




ISAGOGE

IN EPISTOLAM A PAULO APOSTOLO AD COLOSSENSES DATAM

THEOLOGICA, HISTORICA, CRITICA.

ACCESSERUNT

ENARRATIO CAP. I COLOSS. V. 1—14

ET

EXCURSUS, QUOS VOCANT,

EPISTOLAM SPECTANTES TRES.

CONFECIT

GUILIELMUS BOEHMERUS,

THEOL. PROF. EXTR.

עַל־כָּל־מוֹצָא פִי־יְהוָה יִחְיֶה הָאָדָם׃

VIII Deuter. 3.

BEROLINI,

IMPENSIS FERDINAND. DUEMMLERI

A. MDCCCXXIX.

In tabernaculo Dei offert unusquisque, quod potest: alii aurum et argentum et lapides pretiosos, alii byssum et purpuram, nobiscum bene agitur, si obtulerimus — caprarum pilos.



Hieronymus.

VIRO VERE VENERABILI

DN. AUGUSTO NEANDRO,

THEOLOGIAE DOCTORI ET IN ALMA FRIDERICIANA GUILIELMIANA BEROLINENSI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, ITEM SUMME VENERANDI CONSISTORII BRANDENBURGENSIS CONSILIARIO,

GUILIELMUS BOEHMERUS

ΧΑΙΡΕΙΝ.

Quotiescunque Tuum ego ingenium, eruditionem, pietatem, merita de evangelica quum ecclesia tum theologia mecum reputo, insignis me adversus Te subit reverentia, tametsi pro exigua, quae in me est, animi facultate equidem is non sum, qui haec Tua merita ac dotes *ἀξίως* satis praedicare valeam. Praeterea, ubi laeta memoria recolo, quot quantaque Tu potissimum in me contuleris beneficia, quomodo Tu speciatim ab eo inde tempore, quo pectus meum habuisti cognitum,

suavissima et cuius memoriam oblivio nulla oblitterabit, dignatus me Tecum sis consuetudine, una cum reverentia maxima ineffabilem Tui amorem apud animum meum persentisco. At tenet ille, parum esse, si mera in Te reverentia ac dilectione sit impletus: δι' ἔργων gratum sese in Te concinnare, iamdiu ardet, memor quippe Ioanneae eius vocis (I Ioann. 3, 18), ex qua sectatoribus Christi ἐν ἔργῳ καὶ ἀληθείᾳ amandum. Quae quum ita sint, Tibi Vir summe venerande! librum ego qua-

lemcunque huncce, tanquam intimae meae erga Te reverentiae et caritatis documentum dico, consecro, offero cum modestia, hoc habens in votis, ut liberalioris cuiusdam disciplinae theologicae studiosam, at revera tamen evangelicam mentem, in pagellis libri ne plane desideres. Idem Supremum Numen, ex quo *πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον* (I Iac. 17), *διὰ* Χριστοῦ Ἰησοῦ veneror, ut Te longa adhuc per tempora his terris servet incolumem, in ecclesiae ipsius Christianae emolumenta, quae

graviter quidem militat hodieque, sed cuius Tu quoque στύλος exstitisti.

Scribebam Halae, III Nonar. Februar.
a. MDCCCXXIX.

LECTORIBUS
ΦΙΛΑΛΗΘΕΣΙ AC BENEVOLIS
SALUTEM.

Librum hunc theologicum, eundemque exegeticum fateor theologico orbi non *sine* haesitatione quadam a me tradi. In libro quae praestanda mihi obvenerunt, an ἀληθῶς a me praestata sint, nescius ego sum, aliorumque debet esse et sapientium et eruditorum Virorum iudicium. Sed quae animus fuerit praestare, si a quopiam interroger, iam ea ferme habeam respondere: Istiusmodi in litteras, Christianis Colossensibus missas, exaraturus eram isagogen, qua, quaecunque e chronologia, geographia, historia [1]), theosophia, reliquis disciplinis, ad illustrandas litteras universas facerent, haud ἄνευ κρίσεως religiosae [2]), quoad eius fieri

---

1) Vere Aurelius Augustinus: „Historia transactorum temporum plurimum nos adiuvat ad sanctos libros intelligendos." Lib. II de doctr. Christ. cap. 28.

2) Equidem, ut interpres scripturae sacrae, a Goethio nihil dissentio, quum censet im westöstlichen Divan: „Kein Schade geschieht den heiligen Schriften, eben so wenig als jeder anderen Ueberlieferung, wenn wir sie mit kritischem Sinne behandeln," dummodo κριτικὸς is sensus sit idem reapse Christianus. Origenes quidem



quos observes in hoc libro enarratos, animo ἀπὸ τοῦ κόσμου (adhibetur mihi vox sensu apud Ioannem saepius obvio, ex quo ὁ κόσμος est τῷ Θεῷ oppositus), et πρὸς τὰ θεῖα converso, me accinxi [5]). Textu epistolae Bengeliano, item Griesbachiano ob oculos posito, operam ego dedi explanationi primum litterali [6]), quo solidiori basi niteretur Paulinorum, populari genere loquendi interdum propositorum [7]), explanatio; deinde grammaticae, quam iuxta grammatices regulis accommodate atque ex thesauro lin-

---

discipulum suum Timotheum ad sacrarum litterarum studium sedulo capessendum cohortans, quae „„te, inqmit, possint instruere ad salutem per fidem, quae est in Christo Iestu,"" — II Tim. 3, 15." Habes vocem, ex Ioann. Steph. Menochii inst. polit., lib. I, c. 1, pag. 13 petitam.

5) Belle declarat magnus aliquis ecclesiae pater: „In tantum videmus, in quantum morimur huic saeculo; in quantum autem huic vivimus, non videmus."

6) Lutherus: „Ist meine beste Kunst, tradere scripturam sacram simplici sensu. Denn *litteralis sensus* der thuts, da ist Lehre, Kraft, Leben und Kunst inne." Inspice opp. Dr. Martini ed. Hal., tom. XXII, pag. 1982.

7) Martinus Bucerus: „Die Schrift Gottes, weystu wohl, seytemal die uns Menschen zur Leer gegeben, brauchet die Art zu reden, die uns in gemeinem Brauch ist, uf daß, so wir von Gott so vil empfangen haben, daß wir gern von im geleret werden, (wir) seinen Willen leicht verstehen mögen. Redet sie vom glauben, so heyßt es glauben, von Lieb, so ist es Liebe, nach dem rechten natürlichen Verstand dieser Wörter." Cf. Fürbereytung zum Concil.

guistico et eodem Hellenistico Paulina interpretere; tum historicae, in qua respiciuntur diligentius religio a et de Domino nostro proposita, complexus, qui in Paulo erat, dogmaticarum idearum et ethicarum (sit venia verbis non classicis!), opiniones ac studia Colossensium, praeprimis haereticorum Colossis exortorum, et quae eius generis alia ex historicis monumentis repetenda; nativae denique et simplici, qua tantum abest, ut ex animo, praeconceptarum rationum referto, obtrudatur Paulo alienum quicquam [8]), ut is, quolibet quid sibi velit loco, ingenue et cum perspicuitate enuntietur. Scilicet hoc liberaliter interpretandi modo sublimis doctrinae Christianae vis et natura probe conspicua fit, et adstruitur illi auctoritas, qua apud mortales, quos καινὰ κτίσματα est praestatura, carere non debet. — De locorum epistolae singulorum, quos ἐν παῤῥησίᾳ tractaturus eram, sententia, quo constaret certius, eorum inter sese cohaesionem attendere cordi fuit, quod, quam sit necessarium in epistolis Pauli enarrandis, homo nemo, qui

---

8) D. Georg. Frideric. Seilerus in praefat. libri: Das Neue Testament übersetzt und mit Anmerkungen erläutert, Erlang. 1781, tom. II: „Das Wort Gottes, inquit, aus eitlen Absichten nach eignen vorgefaßten Meynungen verdrehen, halte ich für eine der größten Sünden, die ein Mensch je begehen kann."

aliquam cum eis familiaritatem contraxit, ignorat. In obscurioribus quummaxime ac difficilioribus locis [9]) interpretationes aliorum Novi Foederis ἐξηγητῶν praestabiliorum commemoratas volui, neque citra temperantiam atque modestiam examinatas illas. Quae de iis rectae mihimet visae sunt, his album calculum adiiciendum existimavi; si quae falsae, meas earum loco eloquutus sum opiniones [10]). Ex interpretationibus, etiam improbabilibus, componendis et eis quiete diiudicandis iam id proficiscitur boni, quod critica theologiae exegeticae promovetur historia, et animus humanus liberior a praeiudicatis evadit. Singularibus quibusdam „Nutzanwendungen" textus, uti aiunt, Paulini, qui nonnullis interpre-

---

9) Dicit eximius episcopus Hipponensis: „Quod totum (i. e. quod obscure dicta posita sunt in litteris sacris) prorsum divinitus esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, et intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt." Pauloque ille post: „Magnifice igitur et salubriter Spiritus Sanctus ita scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur." Sumpta sunt verba pulcherrimo ex opere: de doctr. Christian. lib. II, cap. 6.

10) L. Caelius Lactantius Firmianus, qui, si audias Hieronymum, facile ipse aliena destruxit, hanc misit vocem: „Primus sapientiae gradus est, falsa intelligere, secundus, vera cognoscere." Quamquam haud ubique sic habet se res.

tibus eius, neque vero illis παντάπασι aspernandis, in amore fuerunt, supersedendum mihi ratus sum, quippe quae, si quid ego video, non theologo interpreti, sed doctori religionis Christianae sint instituendae. Persuasum mihi est, sensus Paulinorum, dum plani penitus exhibiti sint lectoribus, oportere ipsos in facultates animorum *omnes* salutarem *quandam* vim exercere [11]).

In excursibus, quos calci libri animadvertas subiectos, salvo meliore me iudicio proposita sunt talia, quae, quum amplioris pervestigationis essent, intra textus mei cancellos non ita commode recipi quiverunt. Excursus, immo universum scriptum, quod consulto paravi Latiali [12]) sermone, tum denique, ubi diutius retinui in scrinio, in adspectum et lucem emisi, utpote recordatus illud Flacci [13]):

— — — — „carmen reprehendite, quod non
Multa dies et multa litura coercuit, atque
Perfectum, decies non castigavit ad unguem."

---

11) Scripturam sacram incendere quamlibet scintillam animi, recte defendit ingeniosus Titus Flavius Clemens.

12) In Aug. Heumanni conspectu reipubl. litter. IV cap., 46 pag. leguntur ea: „Ut olim Graeca lingua erat litteratorum communis, sic hodie Latina est eruditionis omnis per omnem Europam vehiculum, est totius orbis litterati vinculum, est communis quasi per Heliconias provincias Mercurius."

13) Videsis Horatii de arte poetica libellum, vers. 292 sqq.

Viris iis intelligentibus et eruditis, qui nihilo tamen secius falsa quaepiam in scripto repererint (neque vero superba ego ista opinione ducor, scriptum omnibus esse numeris absolutum [14])), humaniter mecum communicarint, melioraque, animo meo appetita, me edocuerint, gratum me concinnabo [15]). Faxit autem ter optimus maximus Deus, ut exegetica haec scriptio Suo Ipsius et Domini nostri, Iesu Christi, regno, quod et sanctitatis est et veritatis, propagando stabiliendoque aliquo saltem modo inserviat!

Dabam Halae, Nonis Februar., a. MDCCCXXIX.

---

14) Clemens ille Alexandrinus: „*Οὐκ οἶμαι*, ait, *τινὰ οὕτως εὐτυχῆ γραφὴν ἡγεῖσθαι, ἣ μηδεὶς ἀντερεῖ.*" Paulus Apostolus I Corinth. 13, 12: „*ἄρτι γινώσκω ἐκ μέρους.*"

15) Augustinus bene admodum: „Non enim sententiam meam, sed evangelii diligo veritatem."

ELENCHUS

EARUM, IN QUAS OMNIS SCRIPTIO DIVISA EST, PARTIUM.

ISA-

ISAGOGE
IN EPISTOLAM PAULI AD COLOSSENSES.

I. *De ortu, finibus, domiciliis Phrygum.*

Antiquissimis iam temporibus Briges[1]), qui sedes tenerent in Thracia Macedonumque accolae essent, in Asiam minorem immigraverunt, eiusque partes quasdam occupaverunt, et quum suum ipsorum nomen in Phryges mutaverunt, tum vero novis, quibus potiti erant, terris, apellationem indiderunt Phrygiae[2]). Briges seu Phryges non modo tractum ad Sangarium situm, verum interiores etiam ac meridianas terras Asiae mi-

1) Iidem vocantur *Βρύγες*, ut apud Strabonem in reb. geograph. lib. VII. ed. ab Almeloveen, *Βρύγοι*, veluti apud Herodotum lib. VII. p. 507. edit. Henric. Stephani, *Βρέγοι* denique et *Βρέγες*. Strabo XII. p. 827. suppeditat haec: *Βρέγοι καὶ Βρέγες καὶ Φρύγες οἱ αὐτοί*, nisi quod Lucas Holstenius in Stephanum Byzantinum de urbibus, sub voce *Βρίγες*, pro duabus illis vocibus scribendum censet *Βρίγοι* et *Βρίγες*, hanc scripturam existimans primigeniam.

2) In Brigum minorem in Asiam migratione gravissimi auctores consentiunt. Xanthus Lydus, qui aliquam historiam regum Lydiae condidisse fertur, atque adeo, quum circa LXX. olympiadem floreret, Herodoto antiquior erat, et Menecrates Elaita, qui aeque atque Milesius Hecataeus familiaritate Xenocratis *ἀρχαίου σφόδρα* usus est (Strabo XII. p. 828.), itaque olympiade propemodum septuagesima vixit, apud Strabonem lib. XII. p. 857. mentionem iniiciunt *τῶν Φρυγῶν tanquam ἐκ τῆς Θράκης περαιωθέντων*, qui circa Olympum montem (*τὸν Μύσιον* haud dubie, quo Bithynia, Phrygia epictetus, Mysia tanguntur) habitarint:

noris occupavere, ut maxima eius pars ad Asianum imperium Phrygum pertineret. Vide, quos nota altera ex Homero attuli, locos.

---

illud et ipse Strabo ante bellum Troianum evenisse credit (Strabo lib. XII. p. 858.). Quid? quod ex Homero etiam elucet, Briges sive Phryges ante *τὰ Τρωϊκὰ* traiecisse in Asiam. Primum quipqe Priamus in Iliad. *Γ.* v. 184 sqq. ea proloquitur:

ἤδη καὶ Φρυγίην εἰςήλυθον ἀμπελόεσσαν, (monet ad haec Eustathius archiepiscopus Thessalonicensis: *Φρυγίαν νῦν κατὰ τοὺς παλαιοὺς νοητέον τὴν μεγάλην, τὴν παρὰ τῷ ποταμῷ Σαγγαρίῳ.*)
ἔνθα ἴδον πλείστους Φρύγας, ἀνέρας αἰολοπώλους,
λαοὺς Ὀτρῆος καὶ Μύγδονος ἀντιθέοιο (*Ὀτρεὺς ὁ Δύμαντος καὶ Μυγδὼν ὁ Ἄμμονος, Φρυγίας βασιλεῖς.* Ita Eustathius.)
οἵ ῥα τότ' ἐστρατόωντο παρ' ὄχθας Σαγγαρίοιο· (hoc flumen *ἔχει τὰς πηγὰς κατὰ Σαγγίαν κώμην*, et undas per Phrygiam epictetum et Bithyniam in Pontum Euxinum volvit. Strabo XII. p. 818.)
καὶ γὰρ ἐγὼν ἐπίκουρος ἐὼν μετὰ τοῖσιν ἐλέχθην.
ἤματι τῷ, ὅτε ἦλθον Ἀμαζόνες ἀντιάνειραι.
ἀλλ', οὐδ' οἱ τόσοι ἦσαν, ὅσοι ἑλίκωπες Ἀχαιοί.

Deinde vero idem poeta, dum copias Troum auxiliares earumque memorat duces, hanc vocem mittit (Ilias *B.* v. 862, 863.):

Φορκὺς αὖ Φρύγας ἦγε καὶ Ἀσκάνιος θεοειδὴς,
τῆλ' ἐξ Ἀσκανίης („*τῆς Φρυγιακῆς*" observat Strabo lib. XIV. p. 847. ad voc. *Ἀσκανίης* bene admodum, „*ὡς οὔσης ἐγγυτέρω ἄλλης Ἀσκανίας τῆς Μυσιακῆς πρὸς τῇ νῦν Νικαίᾳ ἧς μέμνηται* Iliad. *N.* v. 792—795." Equidem vel propter Homericum illud *τῆλε* una cum geographo *Ἀσκάνιαν* intelligo *χώραν* in Phrygia meridionali sitam, ad quam et aliqua *Ἀσκάνια λίμνη* invenienda. Ascanius, quem Phrygum ducem dixit Homerus, ab illa *χώρᾳ* aut ab hac palude nomen duxit).

Quod si Xanthus, supra a me laudatus, haec ait apud Strabonem lib. XIV. p. 999: „*μετὰ τὰ Τρωϊκὰ — ἐλθεῖν τοὺς Φρύγας ἐκ τῆς Εὐρώπης καὶ τῶν ἀριστερῶν τοῦ Πόντου, ἀγαγεῖν δ' αὐτους Σκαμάνδριον ἐκ Βερεκύντων* (populo Thracio) *καὶ*

Quae quum Phrygum terrae sive ipsa Phrygia post varia fata simul cum caeteris propriae Asiae provinciis regno Persarum esset adiecta, ea,

---

Ἀσκανίας (regione quadam Thracia; Ascaniam paludem in Thracia quoque fuisse, iam suspicatus Mannertus est in Geographie der Griechen und Römer Tom. VI. fascicul. III. p. 80.), statuendum est, unam partem Brigum iam ante bellum a Graecis cum Troianis gestum in Asiam transmeasse, et quidem (si Cononi cuidam fides adhibenda est, qui temporibus Marci Bruti, percussoris Iulii Caesaris, floruisse a Vossio dicitur, quique composuit narrationum quinquaginta libellum, quarum summa capita suae inseruit bibliothecae Photius eruditus), illo Mida suasore ac duce, cui quae *εἰς τροφὴν* apposita fuere, in aurum, uti perhibent fabulae, conversa sunt, et qui cum subditis Brigibus *ὑπὲρ Μυσίαν* incoluit (Photii bibliothec. cod. CLXXXVI.), ubi Briges exigua vocis immutatione Phryges nominati; alteram vero partem Brigum sub Scamandrii cuiusdam auspiciis post Troiae excidium in Asiam traiecisse. Porro in lib. VII. historiar. Herodoti pag. 465. edit. II. Henr. Stephani hoc deprehenditur: „*οἱ — Φρύγες, ὡς Μακεδόνες λέγουσι, ἐκαλέοντο Βρίγες, χρόνον ὅσον Εὐρωπήϊοι ἐόντες συνοίκουν* (lectio *σύνοικοι ἦσαν* Valckenario placuit) *Μακεδόσι· μεταβάντες δὲ εἰς τὴν Ἀσίαν, ἅμα τῇ χώρῃ καὶ τὸ οὔνομα μετέβαλον εἰς Φρύγας.*" Macedones aetate historici Halicarnassei celeberrimi, h. e. circa medium quintum saeculum ante Dominum natum, id adhuc probe novisse, quod auctore illo historico narrarent de Phrygibus, quodque saecula prope octo ante contigisset, is credo mirum haud putabit, qui traditionis inter veteres populos obtinentis vim accurate perpenderit. Strabo lib. XII. pag. 846, 847: „*Διορίσαι*, inquit, — *τοὺς ὅρους χαλεπὸν τούς τε Βιθυνῶν καὶ Μυσῶν καὶ Φρυγῶν καὶ ἔτι Δολιόνων τῶν περὶ Κύζικον, καὶ Μυγδόνων καὶ Τρώων*, (innuuntur nationes minori in Asia iam versantes) *καὶ διότι μὲν δεῖ εἶναι ἕκαστον τῶν φύλων χωρὶς ὁμολογεῖται· καὶ ἐπί τε τῶν Φρυγῶν, καὶ τῶν Μυσῶν καὶ παροιμιάζονται*

Χωρὶς τὰ Μυσῶν καὶ Φρυγῶν ὁρίσματα.

διορίσασθαι δὲ χαλεπόν. Αἴτιον δὲ, τὸ τοὺς ἐπήλυδας στρατιώτας, καὶ βαρβάρους ὄντας μὴ βεβαίως κατέχειν τὴν κρατηθεῖσαν, ἀλλὰ

quomodo omnium illius Asiae provinciarum facile amplissima, sic, excepta Cilicia, ab iisdem

---

πλανῆτας εἶναι τὸ πλέον, ἐκβάλλοντας καὶ ἐκβαλλομένους. Ἅπαντα δὲ τὰ ἔθνη ταῦτα Θράκιά τις εἰκάζοι ἂν διὰ τὸ τὴν περαίαν νέμεσθαι τούτους, καὶ διὰ τὸ μὴ πολὺ ἐξαλλάττειν ἀλλήλων ἑκατέρους (alii legunt ἑκάτερα). Sententiae huius postremae hoc ego esse credo argumentum: Etiamsi quis nescius sit, cunctas nationes superius dictas ex Thracia in Asiam migrasse, eum tamen inde, quod terram trans Propontidem ac Bosporum Thracium sitam et Thraciae oppositam possideant, quodque nationes illae atque Thraces haud ita multum inter sese differant, posse cogere, nationes esse Thracias. Praeterea Strabo X. lib. p. 722: „αὐτοὶ οἱ Φρύγες Θρακῶν ἄποικοί εἰσιν," et lib. VII. p. 453: „αὐτοὶ οἱ Φρύγες Βρύγες εἰσί, Θράκιόν τι ἔθνος, καθάπερ καὶ οἱ Μυγδόνες καὶ Βέβρυκες, (Strabo lib. X. p. 996. Bebryces, ait, et Doliones ἑτέροις γένεσι περιέχεσθαι, Phrygibus nimirum,) καὶ Μεδοβιθυνοί, καὶ Θῦνοι (iuxta scholiastam Apollonii ad II. lib. Argonaut. v. 462, certa pars Thraciae Θῦνις appellata), δοκῶ δὲ καὶ τοὺς Μαριανδυνούς (videsis quae de quattuor nationibus posterioribus Mannertus, lib. supra memorato p. 545—547, disputavit). Οὗτοι μὲν οὖν τελέως ἐκλελοίπασι πάντες τὴν Εὐρώπην." In historia naturali lib. V. cap. 41. doctissimus Plinius declarat: „Sunt auctores (habet Romanus illos fortasse scriptores Graecos ob oculos, quos ego supra excitavi), transisse ex Europa Mysos et Brigas et Thynos, a quibus appellantur Mysi, Phryges, Bithyni." Postremo Eustathius in commentariis ad librum de situ orbis, quem conscripsit Dionysius Alexandrinus, aperit p. 110. eius editionis Dionysianae, cui commentaria illa solummodo in latinum sermonem conversa adiuncta sunt, et quae Basileae prostitit: „Qui Briges olim vocati essent, hos, cum in Asiam transivissent, nomen Phrygum sortitos esse" cf. pag. 227. Sed quamquam testes haud contemnendi adsunt, Asianos Phryges descendere a Brigibus Europaeis, extiterunt tamen, qui infitiarentur. In opere, quod inscribitur Uebersetzung der allgemeinen Welthistorie, die in England durch eine Gesellschaft von Gelehrten ausgefertigt worden, Halae a. MDCCXXXXVI, tomo IV. pag. 561, pri-

universis terminata [3]), atque etiam maior seu magna Phrygia (Φρυγία μεγάλη) dicta erat. Non ego vero praetermittendum esse arbitror, Phryges cum Mysis ex Troiae excisione et terram Troianam, quae Hellespontum adiaceret, partemque orae Propontidis insedisse: utramque autem hanc terram, quam Mysi a reliqua maiore Phrygia disiungerent, antiquitus Hellespontiacam [4]), a Strabone minorem sive parvam (μικρὰν) Phrygiam vocitatam [5]). Praeter ma-

mo observatur, Herodotum, Strabonem, Plinium, Eustathium, nominum (Brigum et Phrygum) similitudine, duce perquam fallaci, inductos esse, Phryges ut a Brigibus repeterent. Ast vero id, quibus comprobetur, nulla proponuntur argumenta. Ὑπόθεσις est penitus arbitraria. Dein contenditur veri non esse simile, Phryges, si a Macedonibus profecti essent, sua antiquitate tantopere fuisse gloriaturos, saltem gentes alias, praesertim Aegyptios, non adeo promte Phryges se vetustiores agnituros fuisse. Verum enimvero hic tenendum, Phryges ab antiquissimis Brigibus Thraciae duxisse originem. Briges igitur maiores Phrygum, ac, si minus nomen respicias quam rem, et ipsos Phryges fuisse. Ex quo nullus ego video, cur verisimile non sit, Phryges ab his Brigibus ortos, suam praedicasse antiquitatem et antiquissimam nationem a reliquis populis habitos. Quicunque originem Phrygum negat a Brigibus repetendam, hoc ipso fidem antiquorum auctorum et maxime aestumatorum nullam esse profitetur. Quod restat, Hesychius saltationum aliquarum Phrygiarum mentionem movet, et Bricismata appellat. Nomen a prisco nomine Phrygum, id est Briges, haud dubie ortum.

3) Cf. Bredovii Handbuch der alten Geschichte, Geographie und Chronologie, edit. tert. p. 216; item Mannerti Geographie der Griechen und Römer tom. VI. fasc. III. p. 83—84.

4) τὴν ἐφ' Ἑλλησπόντῳ Φρυγίαν.

5) Inspiciatur liber Mannerti, pag. 85—86.

gnam ac parvam Phrygias [6]) inventa denique est tertia: nempe magnae Phrygiae partem, quae remotior ab Hellesponto, sub Olympo sita erat, et in qua, si Strabonem audias, Cotaeium, Midaium, Dorylaeum, urbesque aliae erant [7]), inter turbas, obitum Alexandri Magni insequutas, Bithyni suae ditionis fecerant. At compulsi sunt, ut eandem partem Phrygibus restituerent [8]). Hinc, haec utique pars, quae Phrygibus acquisita rursus esset, ἡ ἐπίκτητος Φρυγία et Straboni denominata, nisi quod apud hunc Phrygia epictetus ab ea, quae Hellesponto imminet, non ubique rite distinguitur [9]). Tres Phrygias, magnam dico, parvam, epictetum vel Eustathius ad Dionysium Alexandr. de situ orbis edit. Basil. pag. 218, quamquam veteribus praeeuntibus, discernit [10]). Postremo imperitante Constantino Magno, Phrygia Magna, posteaquam complures eius partes ab ea seiunctae erant, divisa est in provincias seu praefecturas duas. Altera est a Pacatiano quodam, qui sub illo Caesare in oriente praefectus praetorio esset, Pacatiana [11]) dicta seu Capatiana: occidentem ver-

6) Eas et Livius hic illic commemorat.

7) Cf. Cellarii notitias orbis antiqui caet. tom. II. p. 145.

8) Cf. Mannerti opus pag. 86—87.

9) Inspice librum Cellarii modo adductum tom. II. pag. 141—142.

10) Cf. etiam Bredovium lib. cit. p. 216.

11) Habetur illud nomen in subscriptione priorum, quae ad Timotheum datae sunt, litterarum: πρὸς Τιμόθεον πρώτη

sus sita, neque adeo lata erat. Altera a mirabilibus aliquot sanationibus, quas voluere per Michaelem archangelum perfectas, Phrygia salutaris [12]) nuncupata. Huius provinciae, quae septentrionalis atque orientalis pars esset Phrygiae, caput Synada urbs, Straboni *οὐ μεγάλη* nominata, a Chalcedonensi concilio dicitur.

II. *De natura Phrygiae.*

Non sine montibus fuit Phrygia, inter eosque celebriores erant Mesogis (*ἡ Μεσσωγίς*) seu Mesogaea [13]) Dindymos sive Dindyma [14]), Berecynthus [15]), Cadmus [16]). Magnas etiam regionum planities prataque, et fluvios haud parvos in Phrygia reperires. In iis Maeander numerandus, cui secundum Herodotum lib. VII. cap. 26.

ἐγράφη ἀπὸ Λαοδικαίας, ἥτις ἐστὶ μητρόπολις Φρυγίας τῆς πακατιανῆς (itaque de Laodicea, permagna caeteroquin urbe et illustri, synodus quoque Chalcedonensis iudicat), etsi alii codic. *Καπατιανῆς* suggerunt. Usurpata est vox *Πακατιανή* in inscriptione epistolae, quam concilium Valentiniano ac Valente imperatoribus in Illyrico habitum, ad episcopos plurium, quos in Asia minori offenderes, dioecesium dedit; insuper inscriptione litterarum ad episcopos eosdem ab iis, quos memoravi, imperatoribus missarum. Vide historiam ecclesiasticam Theodoreti lib. I. cap. 7.

12) Nomina Phrygiae pacatianae et salutaris unde petita sint, tom. IV. der Uebersetzung der allgemeinen Welthistorie pag. 555 indicatur.

13) Cf. Mannertum loc. cit. tom VI. fasc. 3. p. 116—117.

14) *Δίδυμος* Ptolemaeo audit, qui iuga eius Troianis a finibus per Phrygiam in Gallograeciam usque producit.

15) Cellarius, pag. 170.

16) Mannertus l. c. pag. 148—149.

Celaenis fontes sunt[17]). Is, quomodo est apud Plinium lib. V. hist. natur. cap. 29, plurimis affunditur oppidis, crebris repletur fluminibus, tamque sinuosus flexibus est, ut saepe reverti existimetur[18]). Fluvius caeteroquin valde profundus, postquam Phrygiam Cariamque est pervagatus, Prienen inter ac Miletum in apertum mare funditur. Marsyas (Marsya Romanis poetis appellatur), opinione nonnullorum uno et eodem cum Maeandro fonte utitur, Strabone quidem auctore lib. XII. geograph. pag. 866. ed. Almelov. Quod qui infitias eunt, Marsyam, qui ob impetum, quo inter rupes asperas decidit, ab Herodoto lib. VII. cap. 26. *Καταῤῥήκτη* nominatur, haud tamen procul a Celaenis ortum docent. Marsyas Celaenis, ni fallor, cum Maeandro iungitur, et, ut per certum aliquod spatium rursus suus est, flexu caret et velox est[19]), ita in suburbio cum molli Maeandri flumine denuo miscetur. Hermus iuxta Dorylaeum oritur[20]), estque praecipue eo nobilitatus, quod riguo per-

---

17) Livius lib. XXXVIII. cap. 13: „Maeander ex arce summa Celaenarum ortus, media urbe decurrens" caet. Ex Plinio lib. V. hist. natur. cap. 29: „amnis Maeander ortus est e lacu in monte Autocrene" (ad Celaenas sito).

18) In Hercule furente Senecae is locus fit obviam;

— — — „incerta vagus
Maeander unda ludit, et cedit sibi
Instatque, dubius litus an fontem petat" v. 685.

19) Claudianus lib II. in Eutrop. vers. 264.

20) Refert Plinius lib. V. cap. 29.

funditur auro[21]). Labitur per *Κατακεκαυμένην* (id est combustam) regionem, multos colligit fluvios in Lydia, donec in Aegaeum mare effunditur. Inclytis[22]) fluminibus et Sagaris seu, ut a plerisque dicitur, Sangarius accensendus. Sangius pagus, apud quem fontes habet, CL circiter stadiis a Pessinunte remotus est.

Ad hoc erat Phrygia, quae illis amnibus minoribusque aliis rigaretur, purissimo aere circumdata. Pulcherrima erat terra, ut Dei hortus posset dici, dives: frumentum cuiusquemodi ferebat, multis pecoribus instructa erat. Laudi dandum Phrygibus, quod non modo mercaturam faciebant, sed potissimum agriculturae reique pecuariae navabant operam. Narrat Strabo lib. XII. pag. 867. edit. ab Almelov.; in agris circa Laodiceam sitis excellentes oves ali, quae lanarum mollitie Milesias antecedant, et colore sint corvorum nigredinem aequantes.

III. *De ingenio, religione, moribusque Phrygum.*

Saepius est apud scriptores antiquos, ubi veteres Phryges tamquam populus vehementer inconsultus stupidusque repraesententur[23]). No-

21) Silius lib. I. vers. 158.

22) Cf. Plinium lib. VI. cap. 1.

23) Cuinam non statim succurrit Papias Hierapolitanus, is, qui quamvis vir vere pius esset, *πάνυ σμικρὸς* tamen *τὸν νοῦν* ab Eusebio Caesareensi vocatur?

tissimum illud: „Phryges sero sapiunt," proverbii vicem tenuit. Phryges molles erant, effaeminati, ad explendas libidines incumbentes. Modus Phrygius et hypophrygius, qui gravi esset Dorio plane contrarius, cum moribus Phrygum valde concinit. Phryges existimati ii, qui non pudore nec monitis, at verberibus redderentur meliores. Altera ex parte negandum non est, nonnullos in historia antiqua Phryges occurrere, qui consilio sapientiaque, quam fere practicam vocant, mortalibus haud paucis longe praestarent. Hyagnis, ex Celaenis oriundus, tibiarum repertor fertur [24]). Aesopus Phryx aeternam famam, (quae est Phaedri vox) suo sibi ingenio condidit; Simplicius Stoicus, in quo, licet inter servos versaretur, liberrimus esset animus, Phryx fuit. Habes etiam inter christianos scriptores, qui Phryges fuere: Claudius

---

24) „Primus Hyagnis in canendo manus dissapedinavit; primus duas tibias uno spiritu animavit; primus laevis et dextris foraminibus, acuto tinnitu, gravi bombo concentum musicum miscuit. Eo genitus Marsyas, quum in artificio patrissaret tibicinii, Phryx caetera et barbatus, vultu ferino trux, hispidus, illutibarbus, spinis et pilis obsitus, fertur proh nefas cum Apolline certavisse." Appuleius Florid. lib. I. pag. 341. Elmenhorst. Tatianus Syrus, cuius praeceptor Iustinus Martyr, illustris adversus gentiles libri cap. 1. eos sic affatur: „*Μαρσυου δε και᾽Ολυμπου την αὐλητικην ἀπηνεγκασθε· Φρυγες δε οἱ ἀμφοτεροι την δια συριγγος ἁρμονιαν ἀγροικοι συνεστησαντο.*" Ita in sanctorum patrum scriptis polemicis de veritate religionis Christianae contra gentiles et Iudaeos vol. III. pag. 28. edit. Wirceburg.

Apollinaris, qui Hierapoli in Asia minori sita per saeculum secundum christianus episcopus fuit [25]), nec pauca adversus haereticos montanistas, Iudaeos, paganos confecit scripta, [26]) ex Hierapoli oriundus erat. Vir fuit „πρὸς τῇ γνώσει τῶν θείων καὶ τὴν ἔξωθεν παιδείαν προςειληφώς" [27]). E Phrygum numero et Leontius fuit, Arianus, praefectus coetui christiano Antiocheno episcopus, cui nos quidem fragmentum orationis in Passionem sancti Babylae debemus. Τὴν γνώμην κρυψίνους ab auctore fabularum haereticarum perhibetur.

In religione Phryges mysteriorum studiosiores erant et cultum divinum, qui e genere ἐνθουσιαστικῷ esset, adamabant. Quod ut ne inconsiderate prolatum esse videatur, eum praecipue cultum curatius delineare concessum sit, quo gens Phrygum est Cybelen prosequuta [28]).

---

25) Cf. Euseb. histor. eccles. lib. V. cap. 27.

26) Cfr. Idem lib. IV. cap. 27.

27) Haec in lib. III. haeretic. fabular. cap. 2. suppeditat Theodoretus.

28) Sabazia quoque, id est sacra, quae Sabazio (Sabo) sive Baccho (Bacchus appellatus deus orgyus, et vocabulum orgyus ab ὀργή, furor, deducendum) a Phrygibus instituebantur, quod supra docui, ex facili comprobare possint. Super Sabaziis cf. S. V. Creuzeri Symbolik und Mythologie der alten Völker, tom. III. pag. 549 sqq. Cybelen ipso cum Baccho veteres auctores nominibus multis composuerunt, Sabazius filius Cybeles quodammodo factus, vide S. V. Creuzeri Symbolik caet. tom IV. pag. 359. Tradit Apollodorus lib. III. Bacchum potentia Iunonis furiosum, dum

Cybele dea a Cybele sive Cybelo, monte Phrygiae, nomen traxit, Dindymene atque Berecynthia vocata est a Dindymo Berecynthoque montibus, Pylene (vel forsitan Sipylene) aut a Sipulo, Lydorum etiam Cybelen venerantium oppido, quod sub imperio Tantali ingentibus terrae motibus eversum, Democles ac Scepsius Demetrius apud Strabonem lib. I. pag. 101. auctores sunt, aut ab Sipylo, Lydio monte, ad quem posita Magnesia urbs: praeterea Idaea vocata ab Ida monte, Pessinuntis [29]) a Pessinunte oppido [30]), quod Cybeles simulacro, delubro,

---

per Phrygiam proficisceretur, a Cybele purum praestatum, mysteria deae edoctum esse reliq.; cf. Symbolicen proxime allatam, tom. III. pag 106 — 107.

29) Strabo lib. X. pag 719. declarat, „Phryges ac Troianos circa Idam habitantes, Rheam (Rhea non alia nisi Cybele: hanc propterea Rheam appellatam opinantur, quod Cybele ea dea fingeretur, ex qua fluxissent, ῥεῖν, i. e. ortum cepissent omnia) ἀπὸ τῶν τόπων nuncupare Ἰδαίαν, καὶ Δινδυμήνην, καὶ Πυλήνην (pro hoc vocabulo fortasse scribendum Σιπυλήνην) καὶ Πεσσινουντίδα, καὶ Κυβέλην." In IV. libr. vers. 363. fastor. Ovidii aperitur, Gallum flumen labi inter viridem Cybelen altasque Celaenas.

30) Pessinuntis posteriore aevo erat Galatiae. Olim una cum parte Galatiae (seu Gallograeciae) maiore ad magnam Phrygiam pertinuerat. Nempe in confesso est, Trocmos, Tectosages, Tlistoboios sive Tolistoboios, nationes Gallicanas tres, tertio ante Christum natum saeculo illum tractum Asiae minoris occupasse, quem post solenne erat, (ab ipsis Gallis) Galatiam (Graece nimirum; id est Latine Galliam) nominare. Vide Mannerti Geographie der Griechen caet. l. c. pag. 57 sqq. Ante Mannertum ea de re disputatum ab Hofmanno in dissert. de Galatia antiqua, Lips.

veneratione utplurimum insignitum erat. Cybele, si Hesiodi theogoniam audire decreveris, coelo ac terra parentibus usa est; si Orpheum, felix coniux Saturni fuit; si scriptores antiquitatis multos, mater divorum (μήτηρ θεῶν) et hominum extitit. Capiti Cybeles turrita corona imposita erat, quia tellus, quam per Cybelen repraesentatam volebat antiquitas[31]), multas turritas urbes sustineret, quomodo apud Lucretium est; vel quia turrigerae ei urbes cordi essent, vide X. lib. Virgil. Aeneid. 252. Induta erat veste, varii generis floribus et animalibus picta. En aptam imaginem terrae! Dextra tenebat clavem, quandoquidem, ubi hyemale tempus incidit, tellus opes suas claudit, et, quum revenit vernum, recludit. Curru ea re vehebatur, quia terra aëris in spatio credebatur pendere; eratque currus rotis instructus, quum mundus, in quo terra, existimaretur rotari. Leonibus trahebatur duobus, quod demonstraret

---

a. 1726, a Wernsdorfio de republica Galatarum. Norimb. 1745. Cf. quae S. V. Hugius in Einleit. ins Neue Testament. p. 516 sqq. hoc nomine scite, ut solet, commentatus est.

31) Hinc legitur apud Demetrium Byzantium:
Ῥεῖα θεῶν βασίλισσα καὶ ἁπάντων γεννέτειρα
ἄνθεσι καὶ καρποῖς χαίρουσα, φιλόκροτε δαῖμον,
πηγάων ἀρχὴ, ποταμῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί.
τὴν πέρι γ᾽ ἐσσυμένος εἱλίσσεται οὐρανὸς ὕψι.
πάντροφε, παγγένετορ, πανθελγὲς δῖα τιθήνη·
τὴν πέρι μὲν θῆρες σκαίρουσι, καὶ ἄγρια πάντα
θηρία παρτρέπεται.

universa, adeoque fera materna posse pietate domari [32]). Sacerdotibus deae nomina erant varia indita: *Κύβηβοι* (a *κυφός*, curvus, forsan descendit vox) nomen mirandum non venit, siquidem Cybele ipsa et *Κυβήβη* audiebat; insuper sunt dicti Galli [33]), a Gallo fluvio Phrygio. Quo qui bibissent, eos in hoc incipere furere, ut virilitatis parte semet privarent, apud Festum exstat [34]); et sacerdotes Cybeles genitalia sibi solebant abscindere [35]). Etiam „Corybantes" (vocula ab ἡ *Κόρυς* ducenda) sacerdotum illorum appellatio. Quippe sacerdotes, dum sacra Cybeles faciunt, pyrrhicham saltabant, omnino supra modum movebantur, et insanorum instar capita iaciebant. Alia ut praeteream, quae minus in finem nostrum faciunt, sacerdo-

---

32) Cf. Francisci Pomeyi pantheum mythicum. Ultraiecti 1797. pag. 143.; Petisci lexicon antiquitatum Romanarum, Leovard. 1713. tom. I. pag. 621; Natalis Comitis libros X. mythologiae, Hanov. 1605. pag. 966 sqq.

33) *Γάλλος* idem, quod *Κύβηβος* memoria valuit posteriore.

34) Inde Ovidius ratione Galli fluminis:

— — — „procul hinc discedite, queis est
Cura bonae mentis."

35) Bardesanes auctor est, principem quendam, qui Abgar Manu diceretur, Edesseni imperii promulgasse, si quis, Cybeles in suo imperio colens virilia sibi amputaret, manus ei praecisum iri; cf. S. V. Neandri Allgemeine Geschichte der christlichen Religion und Kirche tom. I. part. I. pag. 112. — Omittere non placet, Leontium, cuius supra agitata mentio, reddidisse semetipsum *ἀπόκοπον*, quo is nomine ab Athanasio afficitur.

tum nomina, veluti Cabirorum; unum illud Curetum adhuc laudare lubet. Hanc appellationem alii ἀπὸ τῆς κουροτροφίας derivant, ut Curetes intelligantur ii, qui puerum, hoc est Iovem ipsum, aliquando alebant[36]); alii contra a verbo κόρη, nimirum quod in faciendis Rheae sacris sacerdotes muliebri habitu, ut puellae incesserint. Inter utramque etymologiam si optio facienda sit, fatear, me posteriorem quasi magis nativam superiori praepositurum. Cybelae deae multa cum Attide (Attine, Attye) necessitudo intercessit. Variae super eo adolescente apud scriptores deprehenduntur narrationes fabulosae. Alii, ut Natalis Comes[37]), haec referunt: Attidem fuisse pastorem Phrygium, Cybeles laudes inter pascendum cantasse ab eaque mirifice amatum. Quod quum Iupiter aegre tulerit, deum aprum immanem misisse, per quem Attis dilaniatus sit. Alii aliter paulo conformant rem: Attidem, Phrygium puerum formosissimum, non a Cybele solum, verum ab Agdestide etiam, quae esset ab Iove orta δαίμων, dilectum: posteaquam Attis adoleverat, Midas,

36) Lucretius lib. II:

— — — „Curetes, qui Iovis illum
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur,
Quum pueri circum puerum pernice chorea
Armatum in numerum pulsarunt aeribus aera.

Cf. Gregorii Nazanz. orat. XXXIX. in opp. edit. Colon. 1690. pag. 625.

37) In mythologiae lib. II. pag. 97.

rex Pessinuntius, consilium cepit filiae suae in matrimonium ipsi dandae. Iam solemnes nuptiae inciderant, quum magna deorum mater Agdestisque zelotypae ante palatium regium apparent. Agdestis quidem effecit, ut quisquis nuptiis interesset, furore et insania corriperetur. Attis sponsus sub pinum profugit, ibique eviravit sese, et vulnere sibi inflicto absumptus est. Miserrimum Attidis e vita excessum Cybele et Agdestis gravissime dolebant, lugebant, neque ab Iove non impetrabant, ut corpus adolescentis ἄφθαρτον fieret [38]). Quodsi rationem, qua Cybeles sacerdotes colebant deam, spectes, singulos per annos pinum, in qua media simulacrum Attidis lana velatum subligarant, in sanctuarium Cybeles gestabant (gestatio δενδροφόρια lib. X. Strabonis vocata), utpote reculturi memoriam eius rei, quod ipsorum dea pectus dilectissimi verum exanimati Attidis, ubi involverat lana [39]), suum in antrum detulit. Certis anni temporibus sacerdotes cum imagine deae asino imposita incedere, pectus palmis caedere, circa ima-

---

58) Legi haec possunt apud Arnobium, in Uebersetzung der allgemeinen Welthistorie edit. a Baumgartenio tom. IV. pag. 566. Cf. Lilii Gyraldi opera tom. I. pag. 135. edit. Basileae, a. 1580; Natalem Comitem l. c. pag. 967; Gerhardi Vossii de theologia gentili opus edit. Francof. 1668. lib. I. pag. 155.

59) Id commisit dea, rata, „teporis aliquid se posse membris conciliare frigentibus." Sunt verba Arnobii.

imaginem passis crinibus et ἐνθουσιαστικῶς salire, tympanis tentis, cymbalis concavis, fistulis curvis inconditos edere sonos, furiose ululare [40]), pedes ac brachia cultris, aliisque telis stringere, vulnerare. His quidem illi luctus in memoriam referri debebant, quibus turrita dea ideo est dilacerata, quod Attis fato adeo crudeli perfunctus esset.

Fanatica indole fuisse Phryges, documento sunt etiam Christianorum aliquot, qui in Phrygia vitam degebant, aut ex ea terra orti erant, placita ac facta. In Phrygia Montanistae sive Cataphryges docuere, praecepta, quae religio Christiana de moribus ac disciplina contineat, identidem novis ἀποκαλύψεσι perfectiora reddi, Christianos prophetas non ἐν ἑαυτοῖς, sed ἐν ἐκστάσει ὄντας divinitus accipere revelationes, cultores Iesu, si quando persecutionibus premantur, nullo modo fugam capessere, verum ad coronas martyrum Christi debere adspirare, quaeque alia sunt eiusdem generis decreta. Adde haec: In manibus nostris est epistola aliqua, quam coetus Christianus Smyrnae fundatus ad Philadelphenum et alios τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας dedit, quaque imprimis de martyrio, quod Polycarpus, egregius episcopus Smyrnaeus, an-

---

40) Lucretius: „raucisono imitantur cornua cantu." — Cf. omnino Gregor. Nazianz. loc. cit.

no CLXVII. sustinuit, verba fecit[41]); proponitur in epistola etiam Quintus, Phryx, ex Phrygia Smyrnam nuper profectus, qui cum aliis, quos impulerat, Christianis ad Proconsulem Smyrnaeum, paganum videlicet, accessit ultro, sine dubio Christianam se tenere fidem proloquens. Verum enim vero iam mente concidit, ubi conspexit eas, per quas ut Christianus devorandus erat, bestias. Quin immo Proconsul, multis hominem obsecrationibus eo adduxit, ut per *τὴν τύχην* Marci Antonini philosophi [42]) iusiurandum iuraret ac diis sacrificaret. Fanaticum istud factum, infirmitatis humanae ratione non habita peractum, Eusebius lib. IV. hist. eccles. cap. 15. attigit[43]).

IV. *Ad quos eae litterae, in quas paratur isagoge, datae sint, quaeritur. Item situs Colossarum tractatur.*

Quae in vulgaribus Novi Instrumenti editionibus ante epistolam ad Colossenses depre-

41) Universa epistola ab Ittigio in bibliothecam patrum apostolicorum caet. p. 293 sqq. recepta est.

42) Cf. eandem epistolam cap. 9, quo Proconsul Polycarpum sic alloquitur: „*ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην*". Item cf. cap. X.

43) Papias episcopus Hierapolitanus, quem scimus ante saeculum secundum medium vixisse, *μυθικώτερα* protulit de regno per annos mille duraturo, quod ex mortuorum resurrectione in orbe a Christo condendum *σωματικῶς* (vide III Euseb. histor. ecclesiast. cap. 39), innovationem mundi praecessurum esset.

hunduntur verba: *Παύλου τοῦ ἀποστόλου ἡ πρὸς Κολόσσαεῖς ἐπιστολή*, ea ab ipso Paulo manasse non videntur[44]). Solam genuinam epistolae inscriptionem eam esse credo: *Παῦλος, ἀπόστολος*.

44) Quae contra sentit illustr. Fridericus Iunkerus in commentario über den Brief Pauli an die Kolosser, pag. 1, gravissimi ego haud arbitror esse momenti. Ait: „Es ist hier kein Grund vorhanden, an der Aechtheit der Worte *προς Κολοσσαεῖς* zu zweifeln: denn im Briefe selbst I, 2. wird die kolossische Gemeinde beym Gruße des Apostels namentlich erwähnt." Hoc qui potest esse argumentum? quin dici possit, quoniam ecclesia Colossensis Christiana principio epistolae sit commemorata, eiusdem extra epistolam mentionem necessariam non fuisse. Pergit Vir doctus: „Und in den codd. bemerkt man keine Abänderung oder Verschiedenheit der Ortsbezeichnung, ausgenommen in Hinsicht der richtigen Schreibart des genannten Wortes. S. darüber unten im comment. I, 1;" at nonne bene admodum cogitari potest, ipsam ecclesiam Colossensem, ubi esset epistolam hancce caeteris cum ecclesiis communicatura, verba *Παύλου τοῦ ἀποστόλου ἡ πρὸς Κολοσσαεῖς ἐπιστολή*, aut non nisi particulam *πρὸς Κολοσσαεῖς* inscriptionis loco addidisse epistolae, illos vero nobis quidem ignotos homines, per quos epistola cum reliquis Paulinis composita sit, inscriptionem tamquam rectam servasse integram? Memoratu digna quoad epistolam ad Ephesios est Tertulliani advers. Marcion. lib. IV, cap. 17. quaedam vox: „ecclesiae quidem veritate epistolam istam ad Ephesios habemus emissam," id est, uti arbitror, ex vera ecclesiae traditione, (non ex inscriptione aliqua proprie Paulina) epistolam, quae vulgo ad Ephesios inscribitur, credimus ad Ephesios datam. Imprimis hoc magnam mihi movet dubitationem super eius, de quo agitur, tituli authentia, quod epistolarum Paulinarum adeo multarum *ἐπιγραφαὶ* aperte adulterinae originis sunt. Inspice, quae de inscriptionibus librorum Novi Foederis a lectoribus aevi posterioris profectis, monuere Viri ut plurimum reverendi: D. Hugius in Einleitung in die Schriften des Neuen Testaments tom I. edit. II. p. 238. 259, D. de Wettius,

Ἰησοῦ Χριστοῦ διὰ θελήματος θεοῦ, καὶ Τιμόθεος ὁ ἀδελφὸς, τοῖς ἐν Κολοσσαῖς ἁγίοις καὶ πιστοῖς ἀδελφοῖς ἐν Χριστῷ. Glycas, Zonaras, Coronelli, Parisotti, alii τοὺς ἐν Κολοσσαῖς ἁγίους Rhodios intellexerunt Christianos, eo opinor, quia qui Rhodum insulam habitant, a colosso, statua aenea, gigantea[45]), claraque insulae, hic illic Colossenses vocati sint[46]). Non immerito reiicitur haec ὑπόθεσις. Etenim ex IV Col. 15, 16; II, 1. concludendum, Colossenses, quorum gratia ὁ τῶν ἐθνῶν ἀπόστολος litteras exaraverit, vicinos fuisse Laodicenis Phrygiae, in Iesum tamquam Christum credentibus: ex quo nativius, τοὺς ἐν Κολοσσαῖς ἁγίους illarum Colossarum incolas, quae Phrygium fuerunt oppidum, habere[47]). In

---

in Lehrbuch der historisch kritischen Einleitung in die Bibel des Alten und Neuen Testamentes, tom. II. pag. 57; praeterea Bertholdtius in isagoge in Foedus utrumque.

45) Plinius lib. XXXIV. hist. natur. cap. 7: „ante omnes fuit solis colossus Rhodi, quem fecerat Chares Lindius, Lysippi discipulus. Septuaginta cubitorum altitudinis fuit. Hoc simulacrum post quinquagesimum sextum annum terrae motu prostratum, sed iacens quoque miraculo est. Pauci pollicem eius amplectuntur. Maiores sunt digiti, quam pleraeque statuae. Vasti specus hiant de fractis membris."

46) Rhodiis propter insulae suae Colossum Colossensium nomen impositum, iam Placentiae (cf. Viri descriptionem Archipelagi p. 612.) ac Meursii (cf. Hominis scriptum de Rhodo insula, caput 15, libri I.) sententia fuit. Vide et Caroli Stephani dictionarium historicum.

47) Theophylactus ad vocabula I Col. 2: „τοῖς ἐν Κολοσσαῖς ἁγίοις" κ. τ. λ. annotat.: πόλις Φρυγίας αἱ Κολοσσαί, δῆλον ἐκ τοῦ τὴν Λαοδικείαν εἶναι πλησίον. cf. et Menaea Graecorum.

universum nullam nos rationem animadvertimus, quare Paulus in epistola, quae cum poëmate eadem non est, mortales, quibus scribit, designaturus, rarum et exquisitum debuerit nomen usurpare, usu tritum fugere.

Colossas in isto tractu Phrygiae maioris invenires, qui posthac Pacatianus dictus. Thomas Smithus Anglus, qui ut septem illarum ecclesiarum Asiae, „quas olim ipse Christus nascente Christianismo litteris S. Iohanni apocalyptae dictatis salutare dignatus est," statum cognosceret, iter minorem per Asiam instituit, itemque commentationem singularem concinnavit, cui nomen: „septem Asiae ecclesiarum et Constantinopoleos notitia"[48]), is, inquam, p. 59 declarat, ingressum se Colossas, „in clivo montis scansu perquam difficilis sitas." Si constitueris Herodoto in Polymnia VIII. cap. 30. auscultare, posita erat urbs eo loco, *quo* Lycus fluvius[49]) voragine terrae abscon-

---

48) Continetur commentatio in Smithi opusculis ex itinere ipsius Turcico praecipue enatis, quae Rotteraedami, a. MDCCXVI foras data.

49) Lycus (lupus), cuius nomen a rapido eius cursu ducendum est, pariter atque alia flumina ex Cadmo monte, qui indice Strabone haud procul a Laodicea situs est (Strabo lib. XII, pag. 827. edit. ab Almelov.: „*ὑπέρκειται τῆς πόλεως ὄρος Κάδμος;*" super monte lege Mannerti Geographie der Griechen caet. tom. VI. fascicul. III. pag. 148, 149) defluit, ab oriente undas volvit ad occidentem, permagnus apud Strabonem (loco modo excitato) audit, et ad Laodiceam *συμβάλλει τῷ Μαιάνδρῳ ποταμῷ* (Strabo l. c. de Lyco;

ditur [50]). Exin vero flumen post propemodum quinque stadia quam celerrime emergens, et ipse in Maeandrum elabitur. Colossis in occidente est aedificata Laodicea, neque spatio ita magno dissita [51]). Colossenses in occidente septentrioneque Hierapolin aspiciunt. Inter Colossas atque Hierapolin saeculo certe XVII flumen Lycus, et mons quidam et planities oleis, amygdalis, ficubus tecta reperta sunt [52]). Colossas, Laodiceam, Hierapolin in hunc modum structas fuisse, ut exhiberent trigonum, ex compluribus tabulis geographicis videre est, quibus minor Asia (ita anterior peninsula Asiae inde a medio aevo videtur appellata esse) repraesentatur.

---

cfr. et Ovidius lib. XIV. v. 273.). Est, qui velit, Lycum temporibus saltem recentioribus Dioknubar nominari. Inspice librum Mannerti, pag. 153.

50) Plinius II, lib. hist. natur. cap. 103: „subeunt terras rursusque redduntur Lycus in Asia, Erasinus in Argolica, Tigris in Mesopotamia."

51) Smithus l. c.: „spatio fere septem horarum Laodiceam, quam Colossae ad occidentem habent, (sc. Colossis) pervenimus;" se dicit Anglus comitesque.

52) Litteris consignavit Smithus cit. loc., se, quum Hierapoli pergeret Colossas, Lycum traiecisse, montem superasse; in planitie, qualem descripsi supra, viculum ignobilem attigisse. Hic se mansisse, quum Colossas, licet tantummodo quattuor mille passus dissitas, petere vix esset tutum; nimirum per aliquot sicarios, qui Natoliae procincias (Ἀνατολικῆς) quasdam inquietarent.

V. *Historia Colossarum succincta.*

Verisimillimum est, Colossenses ingenio moribusque fuisse iisdem, quibus reliquos Phryges; ad haec, quum adhuc ethnici essent, praecipue iis deabus ac diis, quibus caeteri Phryges servirent, ut Cybelae, cultum praestitisse. Etiam Dianae Colossis et aedes exstructae et certa tempora sacra videntur fuisse [53]).

Saeculo ante nativitatem Domini quinto, *ubi Persae* per certa saltem temporis spatia in Phrygiam dominabantur, Colossae urbs magna fuerunt, copiosa, beata, celebris: id quod ex Herodoto et Xenophonte clarum est [54]). Phrygia posteaquam diversos sortita dominos erat, veluti magnum Alexandrum, Eumenem, regem Pergamenum, Ponticum Mithridatem, saeculo, quod natales Christi proxime antecessit, in po-

---

53) Haec duntaxat vera et certa esse crediderim in loco quodam Graecorum Menaeorum (d. XXII. Nov.), quo refertur: in domicilio Artemidis divino (Colossensi scilicet), dieque in honorem deae festo paganos aliquando fuisse congregatos, ibidem Philemonem, Appiam, Archippum, cultores Iesu Colossenses, fuisse, verum Deum laudibus efferre incepisse, venerationem *τῶν εἰδώλων* detrectasse. Quae in Artemidis templo dieque festo evenisse in Menaeis feruntur, num *ἀληθῶς* evenerint, incertum esse censeo.

54) Nominat Herodotus loco supra allato *Κολοσσὰς πόλιν μεγάλην Φρυγίης*. Xenophon, qui vel vidit Colossas, in *ἀναβάσει Κύρου* lib. I. cap. 6. §. 6. ponit haec: „*τοῦτον* (Maeandrum) *διαβὰς ἐξελαύνει διὰ Φρυγίας στάθμον ἕνα, Παρασάγγας ὄκτω εἰς Κολοσσὰς, πόλιν οἰκουμένην, εὐδαίμονα καὶ μεγάλην.*"

testatem Romanorum venit, et (maior utique Phrygia) a Romano Proconsule est administrata, tametsi oppida Phrygiae hoc a Romanis beneficii tulerant, ut sui essent iuris (bonum *αὐτονομίας* dico). Colossae Straboni nuncupantur oppidulum[55]), unde satis perspicuum est, Colossas ineunte primo post natum Christum saeculo, quo geographus egit, amplitudinis pristinae sat magnam partem amisisse. Mannertus fatur[56]): „sie (urbs Colossae) sank nothwendig durch die ganz in ihrer Nähe angelegten griechischen Städte Hierapolis und Laodicea, zu deren Bevölkerung sie nach der gewöhnlichen Sitte wahrscheinlich einen Theil ihrer Einwohner abgeben mußte." Quod quidem dictum egomet neque reprobo, neque unice approbo. Nempe rationes multae, et eae, tum in loco tum in tempore positae, exsistere potuere, quibus Colossae depressae sunt. — Apparet ex Strabone, omnem ferme ad Maeandrum tractum obnoxium facile motibus terrae esse, ac facile inflammari posse[57]).

---

55) Strabo lib. XII. rer. geographicar. pag. 864 edit. ab Almelov. indicato, Apameam cognomento Cibotum ac Laodiceam maximas esse Phrygiarum urbium, pergit hoc pacto: „*περίκειται δὲ ταύταις* (urbibus illis duabus) *καὶ πολίσματα Ἀφροδισιὰς, Κολοσσαὶ, Θεμισώνιον, Σάναος, Μητρόπολις, Ἀπολλωνιὰς κ. τ. λ.*

56) In Geographie der Griechen und Römer tom. VI. fasc. 3. pag. 127.

57) Dicit XII. lib. pag. 867: ed. ab Almeloven. „*σχεδὸν δέ τοι εὔσειστός ἐστιν καὶ πᾶσα ἡ περὶ τὸν Μαίανδρον χώρα, καὶ ὑπόνομος πυρί τε καὶ ὕδατι μέχρι τῆς μεσογαίας.*" Item eius

Quapropter minus mirum auditu, quod, quum Nero quartum Consul esset, decem per annos Augustus fuisset, Colossis accidit. Auctor enim est Orosius, Laodiceam [58]), Hierapolin, Colossas telluris motu concidisse [59]). Ex effato Orosii efficiunt vulgo, tres eas urbes hoc tremore terrae penitus destructas. Displicet conclusio. Exstant quippe cap. III. apocalyps. Ioanneae post epistolam quidem Colossensibus datam, sed *primo* tamen ex Christo nato saeculo conscriptae litterae, quae ad *ἄγγελον τῆς ἐν Λαοδικείᾳ ἐκκλησίας* perscriptae sunt, ita, ut pateat, Laodiceam primo adhuc saeculo revaluisse. Adeoque Tacitus, quem constat Traiano regnante annales confecisse, loco infra laudato aperit, Laodiceam nullo a Romanis remedio, propriis opibus re-

---

terrae respectu ait „*εὔθρυπτός τέ ἐστιν — — ἡ γῆ, καὶ ψαθυρὰ, πλήρης τε ἁλμυρίδων, καὶ ἐκπυρωτός ἐστι.*" Accedit, ut Strabo fluvium in regione Laodiceae currentem (Lycum opinor) hoc modo meminerit: „*τὸ πλέον δ' οὗτος ὑπὸ γῆς ῥυεὶς, εἶτ' ἀνακύψας συνέπεσεν εἰς ταὐτὸ τοῖς ἄλλοις ποταμοῖς, ἐμφαίνων ἅμα τὸ πολύτρητον τῆς χώρας, καὶ τὸ εὔσειστον· εἰ γάρ τι ἄλλο καὶ ἡ Λαοδίκεια εὔσειστος, καὶ τῆς πλησιοχώρου πλέον.*

58) Tacitus cap. 26. lib. XIV. annal.: „eodem anno (hoc est ut docet cap, 20: Nerone quartum, Cornelio Cosso coss.) ex illustribus Asiae urbibus Laodicea tremore terrae prolapsa" caet.

59) Quod memorat Orosius lib. VII. historiar. cap. 7. forsitan ex Eusebio petiit, utpote qui in thesauro temporum pag. 79. ed. Amstelod. enuntiaverit ad decimum Neronis annum: „*πόλεις — — τῆς Ἀσίας κατέπεσον τρεῖς· Λαοδίκεια, Ἱεράπολις καὶ Κολοσσαί.*"

valuisse. Id puto vix ac ne vix quidem fieri potuisset, si Laodicea illo tremore terrae diruta foret tota. Quocirca equidem suspicor, Laodiceam, Colossas, Hierapolin sane vehementissime eo, de quo verba facio, motu terrae concussas, quin ex parte collapsas, verum destructas prorsus non esse[60]. Tale quid in oppidis praeprimis recentioris aetatis motibus terrae saepius effectum, quis est, qui nesciat? Visum est Centuriatoribus Magdeburgensibus (Centur. II, cap. 2. pag. 3.) Colossas secundo saeculo reaedificatas. Neque vero obvenit quidquam in historia antiqua, huic opinioni quod repugnet. Immo pro ea ipsa hoc quodammodo militare potest, quod Laodicea illa tempestate revaluit[61]. Urbs, quam omni hac sectione tra-

60) Idem ex argumento (ὑποθέσει) epistolae ad Philemonem Paulinae, quod, quinto saeculo florens Theodoretus Cyrensis suae illius epistolae interpretationi praefixit et quo haec occurrunt: „πόλιν δὲ εἶχε (Philemon) τὰς Κολοσσάς, καὶ ἡ οἰκία δὲ αὐτοῦ μέχρι τοῦ παρόντος μεμένηκε", licet forsitan coniiciatur. Etiam celeberrima illa Isenaci domus, qua Martinus Lutherus lucis usuram accepit, per saecula plura ad hodiernum usque diem mansit. Sed „*forsitan*" dixi, probe sciens, quod de aedificio Philemonis tradatur, seriore tempore tradi.

61) Plinius in histor. natur. lib. V. cap. 32: „oppida ibi (in Phrygia) *celeberrima* Ancyra, Celaenae, Colossae, Carina, Cotyaion." Ponamus, Plinium quintum librum operis sui pretiosissimi post miserrimam quam attigi, sortem Colossarum exarasse. Inde tamen, quod Plinius Colossas in celeberrimis oppidis Phrygiae collocat, nequaquam certo consequens est, urbem Plinii temporibus resurrexisse splen-

ctamus, quinto quoque saeculo Colossae seu Colassae nominata [62]). At saeculo duodecimo Chonarum (*Χῶναι, Χοναὶ*) nomen adepta est [63]). Idque ex eo opinor, quod Lycus fluvius apud urbem *ἐς χάσμα γῆς ἐκβάλλων*, uti est apud Herodotum lib. VII. cap. 30, quasi in infundibulum, hoc est *χώνην ἐκβάλλει*. A voce *χῶναι* descendit Choniata, quae pluribus aevi posterioris viris pro cognomine evasit [64]). Nicetas Choniates, etiam

---

didiorem. Nam Romanus anne ideo celeberrimas potuit dicere Colossas, quia terrae motu ex parte conciderant, aut quia olim, quum maxime floruerant, celeberrimae fuerant?

62) Inter subscriptiones actorum concilii Chalcedonensis a. 451 habiti talis deprehenditur „*Νουνέχιος, ἐπίσκοπος Λαοδικείας, τῆς μητροπόλεως, ὁρίσας ὑπέγραψα καὶ ὑπὲρ τῶν ἀπόντων ὑπ' ἐμὲ ἐπισκόπων, — Ἐπιφανίου πόλεως Κολάσσων.*" Labbei sacrosanct. concil. tom. IV. pag. 406. ed. Lutet. Paris. 1671.

63) *Πόλις Φρυγίας αὕτη* (sc. *Κολοσσαὶ*) *ἡ λεγομένη νῦν Χῶναι.* Haec Theophylactus ad I Coloss. 2.

64) Iis accensendi primo Nicetas Acominatus, qui saeculis decimo tertio ac decimo quarto inter primos aulae Constantinopolitanae ministros versatus est, at, ubi Latini Constantinopoli a. 1204 potiti erant, Nicaeae Bithyniae et domicilium fixit, et a. 1206 fato functus est. Accepta referimus homini scripta nonnulla, ut thesaurum fidei orthodoxae, XVII libros complectentem. Deinde Michael Acominatus, Nicetae istius frater, idemque metropolita Atheniensis, abs quo aliquis sermo manavit: „Athenarum urbem multum esse dissimilem ab antiqua," ut alios sermones eius praetermittam. Cf. de ambobus scriptoribus historiam scriptorum ecclesiasticorum litterariam, cuius auctor Guilielm. Caveus, pag. 702, 701 edit. Londin. a. 1688; praeterea eius historiae partem alteram, pag. 247, 246. edit. Genev. a. 1699.

historicis annumerandus[65]), Colossas magnam atque florentem urbem vocat[66]), quo docemur, oppidum saeculo duodecimo iam effloruisse.

VI. *Λαοδικείας ἐπὶ Λύκῳ*[67]) *situs et historia.*

Liquet ex V. libro histor. natur. Plinii, Laodiceam fuisse Lyco impositam, verumtamen et Asopum, Caprumque, parva flumina, alterum, si Smithum audias ad occidentem, alterum ad Euronotum[68]), latera oppidi alluisse[69]). Neque

---

65) Contexuit Nicetas historiam de rebus gestis imperatorum sui (hoc est duodecimi) saeculi (ab a. 1118 usque ad a. 1206) Constantinopolitanorum, distributam illam in libros XXI. Iustus Lipsius: ,,Nicetas, (inquit) Choniates — parum adhuc vulgo notus, fateor, sed dignissimus notitia: purum rectumque ingenium, si aliud illo aevo. Stilus eius operosus, poetas et Homerum saepe resipiens; at res et narratio ipsa distincta, composita, sine vanitate, sine ineptiis, brevis, quod satis sit et fida. Crebra apud eum et opportuna monita; iudicia non libera solum sed sana."

66) Teste Mannerto in Geographie der Griechen caet, tom. VI, fascic. 3. pag. 128.

67) Addendum *ἐπὶ Λύκῳ* nomini *Λαοδικείας*, quo haec Laodicea ab aliis, quae eo nomine veniunt, urbibus rite discernatur: velut clara quaedam Laodicea in terra Syrorum sita erat, haud procul a mari.

68) Inspice notitiam septem Asiae ecclesiarum caet, pag. 40.

69) Eckhelius in doctrina veter. numor. part. I. volum. 3. pag. 166. Laodicensem profert nummum, quo legitur: *ΛΥΚΟC ΚΑΠΡΟC.* Notat Eckhelius: ,,genius urbis sedet inter duos fluvios humi decumbentes."

Asopus et Caper in Lycum non incidunt[70]). Anglus ille eruditus huius rei certiores nos facit: „Laodicea, hodie a Turcis dicta Eski Hisar, id est vetus castrum, urbs Lydiae, super sex septemve colles posita est, qui circulum, cuius perimeter ingens terrae spatium occupat, quasi conficere videntur"[71]).

Stephanus Byzantinus[72]) docet, Iovem Antiocho (regi, Deo), filio Stratonices, per speciem in somno oblatam (i. e. „per Mercurium") imperasse, sibi ut conderet urbem. Antiochum, excitatum etiam Phoebi oraculo, fundasse oppidum, nomenque Laodices uxoris indidisse, h. e. Laodiceam appellasse. Si Plinius ait: (Laodicea) „appellata prius Diospolis, dein Rhoas" caet., a verisimilitudine nihil abhorret, Antiochum urbem novam etiam Diospolin nominasse ab Iove, struendae urbis auctore, dummodo patrem Deorum hominumque honore mactaret. Praeter Cybelen, cuius imaginem in nummis civitatis Laodicensis conspicias, Iovem veneratione prosequebantur incolae Laodiceae, quod

---

70) Vide locum commentationis Smithi modo citatum. Strabo XII. libr. geogr. pag. 867. ait: „Ἐνταῦθα δὲ (id est: ad Laodiceam) καὶ ὁ Κάπρος καὶ ὁ Λύκος συμβάλλει."

71) Loc. cit. pag. 39, 40. Laodicea Phrygiae quidem est urbs. Sed iam Stephanus ad Lydiam, Claudius Ptolemaeus ad Cariam refert, nimirum urbe neque a Lydia neque a Caria adeo longe remota.

72) Περὶ πόλεων pag. 183, edit. Basil. a. 1568.

ex nummis eorum iis intelligi debet, quibus Iupiter repraesentatur. Numerum istius modi nummorum idoneum Iosephus Ekhelius subministrat.[73])

Eo detrimentum cepit Laodicea, quod aliquando a Mithradate Pontico, filio Eupatoris, Magno, oppugnata est. Verum illorum, qui Straboni fuere, parentum ipsiusque Strabonis tempestate nova urbem incrementa cepisse, auctor est ille geographus[74]). Memoriae prodidit, Laodiceam duabus caussis amplificatam, primum regionis circa Laodiceam sitae praestantia: in hac videlicet praestantes, quas iam significavi, alebantur oves, unde Laodicenis et Colossensibus reditus ampli. Deinde vero ex fortuna quorundam Laodicensium prospera: auctam esse urbem, verbi gratia ab Hierone, qui plus quam duo talentorum millia Laodicensi populo pro haereditate reliquerit, quin ante obitum multis donariis (*ἀναθήμασι*) oppidum exornaverit; a Zenone rhetore ac Polemone, filio Zenonis, quem ob praeclare facta Antonius postque Imperator Augustus vel regis nomine (aut ipso regio in Laodiceam imperio: *βασιλείας*) dignati sint[75]): hinc mirandum non est, Laodiceam a Strabone maximam inter urbes Phrygiae alicubi appel-

---

73) Doctrin. nummor. veter. part. I. vol. 3. pag. 159 sqq.
74) Opp. lib. XII. pag. 866 edit. ab Almelov.
75) Strabonis opp. lib. XII. pag. 867, ed. ab Almelov.

lari[76]). A Cicerone Laodicea quasi locus, quo numerarentur pecuniae, proponitur[77]). Mannertus ex Niceta Choniat. p. 9, 81, 410 (cuius inspiciendi copia mihi haud facta) observat[78]); saeculo undecimo per incursiones Ottomannorum pessime cum Laodicea actum, urbem nonnumquam, quamquam in breve duntaxat tempus rursus in potestatem Graecorum venisse, aliqua moenium parte iam tunc temporis spoliatam fuisse, *atque* ab a. MCCLV continenter possessam a Turcis esse. Quid? quod celeber ille geographus perquam verisimile putat, Laodiceam a. MCCCCII ab Timuro devastatam, ut qui ex Caria per Laodiceam in Phrygiam iverit septentrionalem, cunctaque eum in modum depopulatus sit, ut nusquam canem latrantem audires, nusquam infantem flentem. Quae comprobaturo Mannerto Ducas p. 42 etc. Chalcondyl. p. 85 excitantur, quem ego utrumque manibus

---

76) Cicero quoque quinto earum, quas „ad diversos" inscribunt, epistolarum libro, epist. 20: „apud duas civitates, Laodicensem et Apameensem, quae nobis *maximae* videbantur" caet.

77) Cicero lib. 3. epist. 5: „prope Kal. Sextiles puto me Laodiceae fore: ibi per paucos dies, dum pecunia accipitur, quae mihi ex publica permutatione debetur, commorabor." Ac lib. II. epist. 17: „Laodiceae me praedes accepturum arbitror omnis pecuniae publicae, ut et mihi et populo cautum sit sine vecturae periculo."

78) In Geographie der Griechen caet., tom. 6. fascic. 5. pag. 152.

tererem, proh dolor! non licuit: unde deficit me iudicium de opinione Mannerti. Laodiceae status, qualis saeculo decimo septimo fuerit, commentatione Smithi pag. 41 declaratur: „a nemine iam habitatur, nisi quod hic noctu lupi, vulpes et alopecidae praedam investigatum eant. Quam misera et deserta iacet Laodicea, quae tot palatiis olim tumebat! sola enim hodie supersunt rudera, quae tamen eam testantur celeberrimae urbis, uti olim tempore Plinii, nomen meruisse[79]). E tribus theatris et circo, magnitudinem et gloriam ipsius colligere licet; ex illis unum est plane admirandum, cuius aditus est ab Euroaquilone, hominum supra triginta millia capax, ad cuius aream quinquaginta gradibus descenditur. Hic vero viginti duos gradus, qui adhuc integri manent, habet."

VII. *Hierapolis descriptio geographica et historia brevis.*[80])

Phrygiae adiicitur Hierapolis a bene multis scriptoribus neque, quibus fidem habeas, indignis, ut a Ptolemaeo, Stagirita[81]). Graecos ex-

79) Lib. V. hist. natur.

80) In Isagoge in epistolam ad Colossenses missam, quare disseram super Laodicea Hierapolique, ex sequentibus ad intelligendum apertum est.

81) Quam ob rem errare existimo Byzantinum Stephanum, qui Hierapolin μεταξὺ Φρυγίας καὶ Λυδίας sitam velit.

extitisse oppidi conditores, ut suspicemur, graeco illius nomine perpellimur. Lucas Holstenius in notis et castigationibus in Stephanum Byzantinum de urbibus, Lugdun. Batav. a. MDCLXXXIV, pag. 145, veteris lapidis iniicit mentionem, quo ob oculos ponitur: „*ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ʽΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΗΣ ΠΡΟΣ Μ..ΑΝΔΡΟΝ ΠΟΤΑΜΟΝ*" (i. e. Menander Hierapoli, ad Maeandrum flumen aedificata, ortus). Falsa inscriptio; namque Smithus in notit. caet. p. 35 litteris mandavit, traiecisse sese Maeandrum vadis repertis ac spatio deinde quattuor horarum attigisse Hierapolin. Insolens hocce a Strabone [82]) traditur: altiore parte eius montis, qui Hierapolin emineret, foramen esse, non tam latum (poterat mortalem recipere), quam admodum profundum. Refertum esse nebulosis crassisque tenebris, ut ipsum solum (puta: circa foramen situm) vix cernere queas. Foramen quadrangulis cancellis, et qui, si ambitum respexeris, ad L. pedes graecos (*ὅσον ἡμιπλέθρου*) occuparent, circumdatum. Qui exeat ex foramine, spiritum pestiferum intra cancellos contineri, nihil ut noceat in cancellos appropinquantibus. Sin iniiciatur animal aliquod, morte continuo affici: veluti passeres a semet (i. e. Strabone) immissos, (refert igitur illa geographus tanquam oculatus testis.). At Gallos tamen

82) Opp. lib. XIII. pag. 954 ed. ab Almelov.

vel ad foramen perrexisse, neque quicquam incommodi passos. Scilicet semiviri isti Cybeles sacerdotes, foramen subeuntes perniciosum, hoc adhibebant adversus pestem remedii, ut, quomodo et ipse Strabo ait, suum spiritum aliquantisper comprimerent: ex quo fieri non poterat, quin, ubi relinquerent foramen, geographo similiter ac si suffocandi essent, affecti viderentur. Strabo foramen sive antrum *Πλουτώνιον* (i. e. spiraculum Ditis, seu foramen, per quod ad Plutonem pervenias) loc. nota cit., *Χαρώνειον*[83]) in lib. XII, pag. 866 dicit. Insuper id

---

83) Omnino veteres amavere, locos, qui mortiferum spiritum exhalarent, Charonea et Plutonea vocitare. Lucretius profert quandam eius rei rationem, dicendo alicubi:

. . . „Hinc animas Acherontis in oras
Ducere forte Deos inferne reamur."

Hierapolitarum si memineris Plutonium, minus obscurus erit aliquis nummus Hierapolitanus, quo Pluto rapiens Proserpinam obiicitur oculis, et cuius mentionem Eckhelius in doctrin. nummor. veter. part. I. vol. 3. pag. 155 movet. Quae apud Strabonem super pestifero hoc antro habentur, ea saltem ex parte per scriptores alios confirmantur, de quibus ut unum laudem, Appuleius lib. de mundo, pag. 65 edit., ed. Elmenh.: „Vidi, inquit, et ipse apud Hierapolin Phrygiae non adeo ardui montis vicinum latus, nativi oris hiatu reseratum, et tenuis neque editae marginis ambitu circumdatum (eccuinam cancellorum Straboni notatorum hic in mentem non venit?), seu illa, ut poetae volunt, Ditis spiracula dicenda sunt, seu mortiferos anhelitus eos credi prior ratio est. Proxima quaeque animalia et in alvum prona atque proiecta venenati spiritus contagione corripiunt, et vertice circumacta interimunt." Annectit Appuleius, antistites (Cybeles scil.) audere propius accedere, ad superna semper ora sua tollentes. Cf. Phot. cod. CXLII.

memoratu dignum: Vitruvius lib. VIII. cap. 3 narrat, „Hierapoli effervere aquae calidae multitudinem, ex qua circum hortos et vineas fossis auctis immittatur; hanc autem effici post annum crustam lapideam, ex crustis fieri in agris septa [84]." Apud Hierapolitanos agrum calida aqua rigari, ex Ulpiano apparet. Smithus commentationis, quam nominavi, pag. 36 observat, credidisse homines, aquis Hierapolis salutarem vim ac medicinalem inesse. Ibidem, „aquis istis calidis Hierapolin magnificentiam debere suam, et aquarum causa tantam olim celebritatem consecutam."

Cognoscitur ex Stephano Byzantino, denominatam esse urbem *ἀπὸ τοῦ ἱερὰ ἔχειν;* haec templa, quibus potissimum numinibus consecrata fuerint, disquirendum. Extant nummi nonnulli Hierapolis [85]), quibus *ἹΕΡΑΠΟΛΕΙΤΑΙ* nuncupantur *ΝΕΩΚΟΡΟΙ. Νεωκόρος* notat proprie eum, qui templum numinis purgat, vascula templi sacra in ordinem redigit, in universum curam templi gerit [86]). Dein est is, qui numen sive Deum seu Deam praeter reliqua honoribus

---

84) Cfr. Strabo liber XIII, pag. 933 ed. ab Almelov.

85) Apud Eckhelium operis excitati part. I, vol. 3. pag. 144, 155.

86) Etymolog. Magnum: „*νεωκόρος παρὰ τοῦ κορῶ, καθαίρω, καὶ ἐπιμελείας ἀξιῶ, καὶ τοῦ νεὼς ἀττικῶς, ὁ τοῦ νεῷ ἐπιμελούμενος.*"

afficit, in aedibus sacris veneratur caet. *Νεωκόρος* honorifica fuit appellatio. Ephesus quidem propterea ornata illa est, quia Dianae sacra publica studio tam eximio faceret (XIX. Act. apostol. v. 35.). Hierapolitae *Νεωκόροι* iccirco dicti, quoniam matrem Deorum, quae ab omnibus Phrygibus magni fieret[87]), insigniter colerent. Item Apollinem videntur valde venerati, siquidem non modo nummi eorum supersunt, quibus Phoebus cum plectro sive lyra repraesentatur[88]), sed Smithus pag. 36, 37 commentationis eam vocem mittit: „In Amphitheatro (videlicet Hierapolitano), cuius ambitus amplissimus est, nec minoris profunditatis (numeravi enim illic gradus saxeos ultra quadraginta) inter descendendum in quoddam politissimi marmoris fragmentum affabre elaboratum, olim, ni fallor, portae ornamentum incidi, cui inscriptum erat *ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΑΡΧΗΙ.*" Hierapolis ampla aliquando fuit et magnifica. Cuius rei testis sit Smithus pag. 56 comment.: „ubique (agitur de Hierapoli) erant altaria, fornices et columnae pristinum splendorem et gloriam retinentes, palatiorum aliarumque insignissimarum aedium appendices, ut inter praecipuas non solius orientis, sed totius mundi urbes recenseri, dum sta-

---

87) Scholiastes Apollonii ad lib. I, v. 985: „*σύμπασα ἡ Φρυγία ἱερὰ τῇ θεῷ*" (sc. Cybelae).)

88) Eckhelius in doctr. nummor. vet. p. 154, 156.

ret, mereretur." Hierapoli, quamquam non uno tremore terrae concussa sit, tamen concilia Christiana habita, per quae urbis in ecclesia gloria haud dubie est adaucta: unum, a. CLXXIII celebratum, ex Apollinario, de quo iam vidimus, et XXVI episcopis aliis compositum fuit, ac Montanum cum aliis hominibus haereticis damnavit[89]. Alterum circa a. CCCCXLIV convocatum, Sabinianum quendam in sedem Perrhenorum evexit episcopalem, in qua Sabinianus a. CCCCLI a synodo Chalcedonensi est confirmatus[90]. Hierapolin Ottomannorum vis destruxit, in destructam Fridericus I, magnus ille Germanorum imperator, incidit, expeditione, quam plerumque cruciatam dicunt, suscepta[91]. Smithus commentat. suae pag. 36 de Hierapoli: „iam penitus eversa est, incolisque destituta;" pag. 37: „ex sepulchris quaedam adhuc supersunt, plane *Mausolea*, integra quidem et illaesa, quasi mortuis parcendum esse inter tot clades, quas urbs passa est, lex naturalis vel efferis hostibus iusserit, eorumque mo-

89) Contendatur Cavei historia litteraria scriptorum ecclesiasticorum part. I. pag. 24.

90) Inspiciatur Cavei liber proxime allatus p. 98, quo de Sabiniano Athanasioque, quos inter de Perrhenorum episcopatu lis exarsit, sermo est copiosior.

91) Haec posuit in opere suo geographico pag. 136 Mannertus, eademque ex Canisii lectionibus antiquis a Basnagio publicatis hausta vult.

nimenta demoliri plane sacrilegum esse videretur. Horum aliquibus superincumbunt saxa ingentia in cubos efformata, alia instar suggrundiorum ab utraque parte propendentia. Inscriptionibus propemodum omnia insignita erant, quarum aliquae tot lineis, iisque valde in longum protensis constant, ut non epitaphium, sed historiolam continere viderentur." Saeculo decimo septimo, etiam nostris opinor temporibus urbs, de qua loquor, apud Ottomannos Pambuk Kulasi, hoc est castellum Gossypinum, audit. Nomen hinc explicandum, quod clivi et universim solum oppidi per aquas calidas easque in lapidem versas e longinquo spectanti candicant [92]).

VIII. *Quisnam exstitit coetus Colossensis Christiani auctor?*

Paulus quum magnum alterum propagandae Christi doctrinae simul cum Sila iter faceret, Phrygiam adiit, at quoniam Phrygiae et omnino Asiae proconsularis [93]) incolae evangelio per-

---

92) Cf. Smithi notitiam septem Asiae ecclesiarum caet.; ait pag. 56: „aquae — continuo fluxu quosdam canaliculos sibi excavavere, quibus supergressae, albicantis terrae superficiem in tophum maxime friabilem convertunt"; item Mannerti Geographie der Griechen caet. part. VI. fascic. 3, pag. 157. Nomen Bambig, Hierapoli Syriae ab incolis inditum, cum Pambuck idem plane non est.

93) Ad Asiam proconsularem, quae Minoris Asiae provinciae pertinuerint, elucet ex Cicerone pro Flacco cap. 26

cipiendo tunc parum idonei essent, apostolus, quominus iis exponeret evangelium, singulari instituto divino cohibitus est. Cf. cap. XVI Actor. apostolic. 6. Ut tertiam profectionem inierat, quippe exteris cum gentibus doctrinam evangelicam communicaturus, denuo peragravit Phrygiam, verumtamen in fide Messianae dignitati Iesu adhibita stabilivit solummodo, si qui inter Phryges cultores Iesu Christi exstiterant, cap. XIX Actor. 23: neque ambobus, quos ex Act. apostolor. allegavi, locis, neque omnino uspiam hoc sacrae scripturae libro legitur, apostolum paganorum Colossas se contulisse. Quid vero? ipse II. Coloss. 1 videtur significare, de facie corporis se quidem Colossensibus esse ignotum.[94]) Igitur *ἀμέσως* Colossensis ecclesiae

---

dicente: — — „Asia vestra constat ex Phrygia, Mysia, Caria, Lydia."

94) Gentianus Hervetus, Theodoreti interpres, quin Theodoretus ipse opinatur contra, Paulum vidisse Colossenses, ac posteaquam viderit, epistolam ad eos dedisse. Nempe ex II Col. 1, ubi Paulus declarat: *Θέλω ὑμᾶς εἰδέναι, ἡλίκον ἀγῶνα ἔχω περὶ ὑμῶν καὶ τῶν ἐν Λαοδικείᾳ, καὶ ὅσοι οὐχ ἑωράκασι τὸ πρόςωπόν μου ἐν σαρκὶ*, pater, quem innuis ecclesiasticus, hunc sensum elicit: *οὐ μόνον ὑμῶν ἀλλὰ καὶ τῶν μὴ τεθεαμένων με πολλὴν ἔχω φροντίδα*, cf. *ὑπόθεσιν* epistolae ad Colossenses, quam Theodoretus suae eius explanationi praefixit. Attamen nulla causa deprehenditur loco illo Paulino, cur ecclesiae pater, cuius magna alioquin extant de Novi Foederis exegesi merita, Colossenses et Laodicenos quasi *ἀπολαύσαντας Παύλου τῆς θέας*, numero eorum Christianorum excludat, qui Paulum non viderunt. Hoc facere est temere facere. Videsis et excursum nostrum primum.

Christianae fundamenta nullus iecit. Si quaeras, quid sit, quod Paulus ipse non iecerit, causam ego certo definire non ausim. Coniecerim tantummodo, Apostolum propterea Colossis haud condidisse ecclesiam, quod urbs in ea via fundata non esset, quam, ubi iterum pergeret per Phrygiam, ineundam sibi elegisset. Poterat omnino inter incolas oppidorum copiosorum maior vis hominum evangelio propensa evadere. Neque vero huiuscemodi ex oppidis Colossae tempore Paulino fuere. De auctore coetus Colossensis equidem sic sentio: Paulus in tertio, quod promovendae rei Christianae direxit, itinere Ephesum, μητρόπολιν illam proconsularis Asiae celeberrimam, cursum contendit, ibidem annos propemodum tres doctrinam de Iesu Messia, et conditore novi in mortalibus regni divini promulgavit, cf. XIX Act. 1 sqq., XX, 31, atque singulos ecclesiae Ephesinae presbyteros est cum lacrymis cohortatus, ut fideliter adhaererent evangelio, vitamque penitus ei consentaneam agerent. Permulti tum Iudaei tum gentiles, qui Asiam proconsularem habitabant, et Ephesum eo forsitan consilio venerant, ut mercaturam facerent atque Dianam, cuius templum splendidissimum exstructum esset Ephesi, venerarentur, Paulum, dum evangelium enuntiat,

---

Apostolus, quid II, 1 sit dicturus, in proponendo epistolae argumento ostendetur fusius.

conspexere et audivere, Actor. XIX, 10. Iam obstat nihil, quin sumamus, inter eos πάντας τοὺς κατοικοῦντας τὴν Ἀσίαν, quos modo significavi, et Colossarum, ab Epheso haud ita longe remotarum incolas quosdam versatos esse, veluti Epaphram[95]) sive Epaphroditum, ipsis Colossis oriundum IV Coloss. 12; et eum potissimum per sacras apostoli orationes ad fidem Christo Iesu praebendam adductum. Paulo, qui pro sapientia sua apostolica in provinciarum fere capitibus doctrinam de Christo cruci affixo proponeret, quo celerius caeteris provinciarum locis bonum id caeleste contingeret, Paulo igitur aut suadente aut iubente factum esse videtur, ut Epaphras, iam assecla Christi, Colossis rursus collocaret domicilium, incolis veram annuntiaret Domini do-

95) Viri quidam docti opinionem foverunt, Epaphram eum, de quo in litteris ad Colossenses verba fierent, diversum non esse ab illo Epaphrodito, quem epistola ad Philippenses II, 25 sqq., IV, 18 exhiberet. Ne ego quidem diffiteor, vocabulum Epaphras compendium esse populare sive contractionem vocis Epaphroditus. Similiter Artemas ex Artemonius, Lucas ex Lucanus, Silas ex Silvanus contracta sunt verba. Verum enimvero ἐξ ταυτότητος nominum Epaphras et Epaphroditus non tuto concludi potest, Colossensem Epaphram eundem esse cum Epaphrodito Philippensi, quandoquidem nomen Epaphroditus veteres inter Graecos frequentissimum fuit; vide Fabricii bibliothec. graec. IV, 7. Quis exempli gratia illius Epaphroditi non meminerit, qui Flavium Iosephum, ut archaeologiam Iudaicam contexeret, excitavit? Singularis de Epaphrodito, *Philippensium* apostolo commentatio ab Andrea Sirpio exarata, et a. 1741 Lipsiae foras data est.

ctrinam, et hoc pacto, quamlibet exiguum coetum Christianum ex iis colligeret. Si ponas, *aliquem discipulum Pauli* fundamenta ecclesiae Colossensis iecisse, Paulum ergo, (barbare ut loquar) *mediate* fundasse, profecto mirandum non est, Paulum, qui ecclesias eas evangelium viva voce perve epistolas edocere constanter refugeret, quae suam ipsi originem non deberent, ad Colossensem tamen litteras, quibus gravissima placita evangelica continentur, misisse, et rursum Colossenses Paulum amore vere Christiano amplexos esse I Coloss. 8. Ad hoc si posueris, de discipulis Pauli omnibus Epaphram non modo doctorem Colossensium extitisse (id quod ex I Coloss. 7 satis constat), verum etiam ἀμέσως constituisse ecclesiam Colossensem, verum ipsum patrem spiritualem Colossensium evasisse, tum denique, uti arbitror, plane manifestum erit, quare Epaphras paterno adeo erga Colossenses amore inflammatus, et tam insigni studio salutis Colossensium promovendae incensus fuerit IV Coloss. 13, et Deum omnipotentem fervidis semper precibus adierit, ut Colossenses, quaecunque praecepisset Deus, perfecte indesinenterque exsequerentur, neve decretis pseudapostolorum, in ecclesiam Colossensem irrepentium, morem gererent IV, 12. Ad ecclesias illas, quae Laodiceae et Hierapoli παροικοῦσαι erant, quod attinet, Heinrichsius in prolegomen. ad epistolam, quam tractamus, pag. 155 con-

tendit (non Epaphram, sed) alios, quorum patria Epheso vicina fuerit, et qui Ephesi auditores Pauli exstiterint, conatos forsan esse, Laodiceae, Hierapoli novarum ecclesiarum fundamenta iacere. Egomet contra loco, quem IV Coloss. 13 invenias, ad eam suspicionem moveor, etiam coetus Laodicensem et Hierapolitanum a Colossensi Epaphra ortum suum duxisse. Quodsi Epaphras compluribus ecclesiis Christianis doctrinam evangelicam exposuit, εὐαγγελίστης perhibendus est.

IX. *De tempore, quo ecclesia Colossensis fundata est.*

Veri mihi simile est, factum id esse, *dum* Paulus per annos ferme tres Ephesi versaretur, aut *postquam* eo temporis spatio Ephesi commoratus esset apostolus. Quippe illa tempestate *πάντες οἱ κατοικοῦντες τὴν Ἀσίαν*, in quibus probabile est Epaphram fuisse, Paulo Christi doctrinam promulganti auscultavere; idque ante longam illam commorationem Pauli Ephesiam, quae de acutissimi Eichhornii sententia inde a medio anno LVII usque ad a. LVIIII locum habuit [96]), evenisse, ex Novo Instrumento non constat. Si ecclesia Colossensis, *antequam* apostolus se per

---

96) Cf. Eichhornii beati Einleitung in das Neue Testament tom. III, part. 1, pag. 41 sqq.

annos fere tres Ephesi continuit, condita foret[97]), Paulus Phrygiam bis peragrans, visisset procul dubio ecclesiam Colossensem, eiusque socios in evangelica fide confirmasset: qua de re innotuit nihil. Ex parte altera id exploratum est, ecclesiam, de qua quaeritur, a. LXIV, quo Paulus epistolam ad illam daret (vide infra dicenda), iam aedificatam fuisse. Scribit videlicet ad Colossenses ut homines, qui non solum audivissent evangelium (I Coloss. 5, 6, 7, II, 6, 7), sed qui in melius essent mutati (III, 5; II, 11, 12, 20; III, 1; II, 13; I, 6, 4, al.), in generalemque ecclesiam Christianam recepti (II Coloss. 10), et ordinarios, quemadmodum videtur, ministros ecclesiasticos haberent (IV, 17), quod ad constitutionem aliquam fidelium Colossensium ecclesiasticam pertinet. Condita itaque est eorundem ecclesia inter a. LVII atque a. LXIV. Et reputantibus nobiscum, quum litterae ad eos Paulinae concinnarentur, Colossenses *στερέωμα τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως*, quae fere sensim sensimque firma fit, tenuisse (II Coloss. 5), item *ψευδοδιδασκάλους* in communionem Colossensium semet insinuasse, et multum apud eos valuisse, iudicabitur probabile, coetum Colos-

---

97) Ait in tom. II, part. 2 seines Handbuchs der Einleitung in die Schriften des Neuen Testaments p. 666. Haenlinius: „ob ihre (Colossensium scil.) Bekehrung vor oder nach dem Aufenthalt Pauli zu Ephesus vorfiel, kann nicht bestimmt werden;" huic ego iudicio adstipulari nequeo.

sensem Christianum aliquantum temporis ante epistolae nostrae conceptionem esse constitutum, fortasse priusquam Paulus in vincula Romana priora ductus est. Tempus fundatae ecclesiae Colossensis accuratius finire non sustineo, deficientibus in epistola indiciis, quae ad id necessaria sunt, chronologicis.

X. *De sociis ecclesiae Colossensis.*

Ecclesiam e Christianis olim paganis compositam fuisse, declarat I Coloss. 24, 25, ubi Paulus Colossenses iis annumerat, quibus evangelium tradere a Deo iniunctum sibi sit, et quorum gratia ipse exanclet calamitates: scimus autem, Paulo, ut paganis evangelium nuntiaret, divinitus mandatum esse[98]), eundemque propter evangelium paganis annuntiatum Romana in vincula coniectum. Idem declarat III Coloss. 5, 7, quo loco principes epistolae lectores adhortatur apostolus, ut istiusmodi vitia impura deprimant, quae apostolico aevo inter paganos quam maxime disseminata, et a nonnullis forsan ex paganismo in externam ecclesiam Christi translata erant; alios ut faciam missos locos, quorum ope, quod volo, probari potest. Porro dubium non est, quin Colossensis Domini coetus et tales sectatores Iesu sit complexus, qui ante professionem religionis Christianae Mosi adhaesissent. Si ob-

98) Paulus XI Roman. 13: εἰμι ἐγὼ ἐθνῶν ἀπόστολος.

oritur quaestio, annon Colossis ipsis Iudaei si minus permulti, at nonnulli tamen sese tenuerint, hoc certe mihi a verisimilitudine haud recedit. Nimirum dicit Seneca[99]), usque eo Iudaicae gentis consuetudinem convaluisse, ut per omnes iam terras recepta sit, victos victoribus leges dedisse. Accedit, quod XII libro antiquitatum Iudaicarum, Iosepho Hebraeo confectarum cap. 3, n. 4 [100]) litterae sunt, quas Antiochus ob res in bellis gestas vocatus Magnus, Syriae rex, ad Zeuxidem, suum ducem misit, quaeque his continentur verbis: „*ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΝΤΙΟΧΟΣ ΖΕΥΞΙΔΙ ΤΩι ΠΑΤΡΙ*[1]) *ΧΑΙΡΕΙΝ. Εἰ ἔῤῥωσαι, εὖ ἂν ἔχοι, ὑγιαίνω δὲ καὶ αὐτός. Πυνθανόμενος τοὺς ἐν Λυδίᾳ καὶ Φρυγίᾳ νεωτερίζοντας, μεγάλης ἐπιστροφῆς ἡγησάμην τοῦτό μοι δεῖσθαι· καὶ βουλευσαμένῳ μοι μετὰ τῶν φίλων τί δεῖ ποιεῖν, ἔδοξεν εἰς τὰ φρούρια καὶ τοὺς ἀναγκαιοτάτους τόπους τῶν ἀπὸ τῆς μεσοποταμίας καὶ βαβυλωνίας ἰουδαίων οἴκους δισχιλίους σὺν ἐπισκευῇ μεταγαγεῖν. Πέπεισμαι γὰρ, εὔνους αὐτοὺς ἔσεσθαι τῶν ἡμετέρων φύ-*

---

99) In libri, quem conscripsit aulicus philosophus contra superstitiones, fragmento quopiam, quod apud Augustin. de civit. Dei lib. VI, cap. 11 invenitur.

100) In opp. Iosephi tom. II, pag. 146, 148 ed. Oberthür.

1) Antiochus haud scio an patris nomine ideo honoret Zeuxidem, quia eum ut aetate provectum et amicum intimum magnopere suspiciebat et diligebat. Iosephus l. c. p. 146. Zeuxidem non modo *τὸν αὐτοῦ* (i. e, Antiochi) *στρατηγὸν*, sed *ἐν τοῖς μάλιστα φίλον* appellat.

λακας διά τε τὴν πρὸς τὸν θεὸν αὐτῶν εὐσέβειαν, καὶ μαρτυρουμένους δ' αὐτοὺς ὑπὸ τῶν προγόνων εἰς πίστιν οἶδα καὶ προθυμίαν, εἰς ἃ παρακαλοῦνται· βούλομαι τοίνυν καίπερ ἐργώδους ὄντος τούτους μεταγαγεῖν, ὑποσχόμενος νόμοις αὐτοὺς χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις· ὅταν δ' αὐτοὺς ἀγάγῃς εἰς τοὺς προειρημένους τόπους εἴς τε οἰκοδομὰς οἰκιῶν, δώσεις αὐτοῖς τόπον ἑκάστῳ, καὶ χώραν εἰς γεωργίαν καὶ φυτείαν ἀμπέλων, καὶ ἀτελεῖς τῶν ἐκ τῆς γῆς καρπῶν ἀνήσεις ἐπ' ἔτη δεκα· μετρείσθωσαν δὲ καὶ ἄχρις ἂν τοὺς παρὰ τῆς γῆς ἄρτους λαμβάνωσιν, σίτον εἰς τὰς τῶν θεραπόντων διατροφάς· διδόσθω δὲ καὶ τοῖς εἰς τὰς χρείας ὑπηρετοῦσι τὸ αὔταρκες, ἵνα τῆς παρ' ἡμῶν τυγχάνοντες φιλανθρωπίας, προθυμοτέρους παρέχωσιν αὐτοὺς περὶ τὰ ἡμέτερα· πρόνοιαν δὲ ποιῶ καὶ τοῦ ἔθνους κατὰ τὸ δυνατὸν, ὅπως ὑπὸ μηδενὸς ἐνοχλῆται." Hac ergo epistola id sane significatur tantum, Antiochum, cognito, Lydiae Phrygiaeque incolas novis rebus studere, quum persuasum sibi haberet, Iudaeos utramque provinciam in fide erga se retenturos, *consilium iniisse* (ἔδοξεν), bis mille familias Iudaeas una cum supellectili earum ex Mesopotamia Babyloniaque, in quibus morarentur, in castella Lydiae, Phrygiae, et eos locos, ubi benevoli custodes rerum regiarum summe necessarii essent, traducere. Nec, si quid ego video, disertis verbis docet Hebraeus scriptor, familias in ambas, quas dixi, Asiae Minoris provincias revera translatas. Verum nulla occurrit causa satis iusta, cur dubites, quin trans-

latae illuc, atque etiam, quae est Iudaeorum consuetudo, extra *τὰ φρούρια καὶ τοὺς ἀναγκαιοτάτους τόπους* Lydiae ac Phrygiae paulatim tempore procedente sparsae sint. Adde, quod inter istos Iudaeos, qui quum prima pentecoste Christiana Hierosolymis celebraretur, et spiritus sancti dona apostolis aliisque fidelibus Hierosolymitanis per Christum *δεδοξασμένον* impertirentur, Hierosolymis aderant atque Christianos insignia Dei facta[2]) novis (iisque *ἐνθουσιαστικαῖς*) rationibus dicendi collaudantes audiebant, tales erant religiosi, qui Phrygiam habitarent[3]). Iam vero Iudaeochristianos, quos vocant, inventos esse Colossis, ex II Coloss. 16, 20, 21, 22, 11 est planum, utpote quibus locis Paulus liberius sentiens Iudaeas oppugnet ac reiiciat leges de certis esculentis et potulentis vitandis, de agendis aliquot diebus festis, de circumcisione *σαρκικῇ* assumenda. Et eas quidem leges apostolica memoria praeprimis a Christianis olim Iudaeis accurate esse servatas, neminem, qui callet historiam saeculi Christiani primi, fugit. Nihilo tamen secius dixerit fortasse quispiam: si Iudaeochristiani fuissent ecclesiae Colossensis socii, pius litterarum ad eam datarum auctor, de iis, quae proponit, saltem nonnulla Veteris Foederis com-

---

2) Ut creationem mundi, ut redemptionem generis humani, ut reconciliationem eius cum Deo, alia.

3) II Act. 9, 10: *οἱ κατοικοῦντες τὴν Φρυγίαν.*

comprobasset effatis, quae in litteris leguntur nulla. At vero hoc ut committeret apostolus in epistola, quam ad Christianos ex paganis et Iudaeis oriundos mitteret, breviore, necessarium nullo modo erat. Sufficit nobis opinor animadvertisse, uti Paulum formulis loquendi ex Vetere Testamento ipsoque Iudaeorum ore petitis, velut *περιτομῇ περιτέμνεσθαι* II Coloss. 12, *ἀκροβυστία τῆς σαρκὸς* v. 13, *νουμηνίας, σαββάτων* v. 16, uti *Paulum* locutionibus Iudaeorum theologiae propriis: I Coloss. 16, II, 15. Ecclesiam Colossensem conflatam ex gentilibus atque Iudaeis fuisse, postremo inde fit verisimile, quod nullae nobis extra Palaestinae fines in notitiam venere ecclesiae, quae ex ethnicis solis vel ex solis Iudaeis conflatae essent.

Hactenus de sociis illius, quam spectamus, ecclesiae *universis*; nunc *de singulis* et iis notabilioribus videamus: ad hos primus Philemon referendus, cuius an Laodicea urbs patria sit, incertum. Post versatum Colossis, ex eo efficimus, quod Paulus Onesimum, servum Philemonis ad Philemonem remissurus, misit Colossas IV Coloss. 8, 9. Videtur Philemon ad Messiam Iesum opera Pauli perductus. Ast cave arbitrere, id Colossis factum, quippe quod oppidum apostolus eo quidem tempore, quo crederet in Christum Philemon, ac praeceptis Christi obtemperaret, nondum visisset. Arridet ea *ὑπόθεσις*,

secundum quam Ephesi, dum Paulus ibi plus quam duo annos manet, coramque tot habitatoribus Asiae proconsularis divinam religionem Iesu proponit, Philemonis ad Dominum ἐπιστροφῇ evenit. Christianus redditus fidem Christo Iesu habitam custodivit, cuius in asseclas exercuit caritatem liberalitatemque[4]), quae laetitiae causa Paulo non poterant non exsistere, v. 5, 7 epist. ad Philem. Epistola eadem Paulus salutem dicit τῇ κατ' οἶκον Φιλήμονος ἐκκλησίᾳ, quam phrasin duplici modo licet accipere: videlicet de domesticis et famulis Philemonis, quatenus in domo eius simul cum Philemone ecclesiolam singularem constituerunt, vel de sociis Colossensis ecclesiae sive omnibus sive compluribus, qui spatiosis in aedibus viri solebant convenire, Deum et Christum Dei cultum; Colossenses enim aeque atque Christianos priorum rei Christianae temporum reliquos templa defecerunt. V. I. apostolus Philemonem nuncupat suum ipsius συνεργὸν: potest honorifica vox talem denotare, qui degenda sancta vereque Christiana vita ad rem Christianam promovendam facit. Alia enarratio denominationis haec: is, qui pariter ac Paulus circa docendam religionem Christianam occupatus erat, qui apud Christo addictos Colossenses episcopi seu presbyteri (et δι-

4) Ex ea, praeterea vers. 7, 22 epist. ad Philem. cogo, hominem non pauperem fuisse.

σκοντος) munere fungebatur [5]. Ita I Corinth. 23; II Philipp. 25 vocula συνεργὸς ad doctores ıristianos pertinet. Et vero libro VII, cap. 46 nstitution. apostol. Philemon episcopus eccleıe Colossensis perhibetur. Tamen non nego, ıesitare me, utram ego ἐξήγησιν vocabuli συνεργὸς 'aeponam.

Philemonem dominum propterea deseruerat nesimus, servus paganus, quia, uti aperit aulus v. 11 epist. ad Philem., inutilis fuerat hilemoni, i. e. aliquid fortassis furatus fuerat, ide etiam v. 18), et heri, quando furtum patet, poenam reformidabat iustissimam. Non ıe Dei maximi optimique numine sub idem mpus ad urbem Romani imperii capitalem conndit Onesimus, quum Paulus primis ibi erat nculis constrictus. Romae innotuit Paulo, per nem evangelium ἀκωλύτως tradentem emendaıs, atque eiusmodi cultor Iesu Christi, qui aulo in deliciis esset, praestatus est, v. 10 pist. ad Philem., IV Coloss. 9. Cupiebat pater nesimi spiritualis hominem apud se retinere, ıo vincto sibi necessaria exhiberet ministeria, . 13 ad Philem. Illud vero Philemone invito olens committere v. 14, ad Philemonem remit Onesimum cum quodam epistolio, quo Onemum variis hero modis commendat, et rogat

---

5) Huic rationi non video, refragari qui queat, quod ıilemon civis Colossensis ab Hieronymo appellatur.

Philemonem, ut Onesimum benigne tum excipiat, tum in posterum tractet. Quam adhibet Paulus in rogando humanitatem, ea dignissima est, quam admiretur quilibet. Visum est aliquibus, Philemonem servum, posteaquam receperit, ad Paulum ablegasse Romam, qui Onesimo quidem ab eo ipso tempore ceu fideli homine dignoque evangelii ministro usus sit [6]). Hoc destitutum est firmis fundamentis historicis, et fortassis ex v. 13 epist. ad Philem. effectum. Quid? quod temere nonnulli voluere, Onesimum in episcopalem sedem Berrhoeae, oppidi Macedonici a Paulo evectum [7]). Ignatius illustris episcopus Antiochensis, quum e Syria per Asiam minorem Romam, qua subiret martyrium, duceretur, Smyrnae unam dicavit epistolam ecclesiae Ephesinae. Primo epistolae capite Onesimum quendam, quasi *ἐπίσκοπον* Ephesinorum, quem ineffabili amore complectatur, memorat [8]), et profitetur capite sexto, bonum ordinem Ephesinorum Deoque probatum ab Onesimo eo vehementer laudari. Ephesinum Onesimum cum Onesimo Paulino eundem plane esse, non nemo censuit inconsideratius [9]). Hic illic noster vel

---

6) Cf. Tillemontii mémoires pour servir à l'histoire ecclesiastique des six premiers siècles, tom. I, part. 2, p. 667, 675.

7) Tillemont. l. c. pag. 675.

8) Vide et Eusebii histor. ecclesiast. lib. III, cap. 36.

9) Tillemont. l. c. pag. 675.

apostoli nomine insignitur. Si Graecis recentioris aevi assentiare, Onesimus suae in Christum Iesum fidei ergo circa a. 95, quo imperatorem Romanum se gessit Domitianus, interfectus est[10]). Sed, ut revertatur oratio ad Philemonem, fertur Gazam se contulisse, Gazae apostolus evasisse (i. e. urbem doctrina Iesu imbuisse et ad eundem convertisse), Gazae episcopus fuisse, ad extremum imperitante Nerone pertulisse *μαρτύριον*[11]): quibus ego omnibus, quoniam ab auctoribus temporum posteriorum narrantur, fidem adhibere gravor. — Appiae feminae, Paulo in Domino dilectae, post Philemonem in v. 2 epist. ad Philem. iniicitur mentio. Theodoreti rationem, ex qua femina Philemoni coniugis Christianae loco fuit, perquam probabilem esse existimo. — Versu secundo Archippus quidam salutatur a Paulo, neque ego Davidi Michaeli, qui Archippum credit Philemonis filium exstitisse[12]), non suffragor. Christianus quin fuerit, dubitari nullo pacto potest;

---

10) Tillemont. loc. cit. Tale quid et in codice a. Matthaei deprehenditur: „*ἰστεον —, ὁτι οὑτος ὁ Ὀνησιμος και μαρτυριου ἠξιωται ἐν τη Ῥωμαιων πολει, Τερτυλλου το τηνικαυτα την ἐπαρχον ἐξουσιαν διεποντος, τη των σκελων κλασαι την ψηφον ὑπομεινας του μαρτυριου.*"

11) Id si verum est, probat, vexationem Christianis a Nerone inflictam non unius oppidi Romae Christianos spectasse, quomodo Viris nonnullis eruditis, ut Dodvello, placuit.

12) Cf. Michaelis Einleitung in die göttlichen Schriften des Neuen Bundes edit. IV, tom. II, pag. 1274.

verum Archippus et Appia Paulone an Epaphrae suam ad Christum conversionem acceptam retulerint, in medium reliquerim. Clarum est ex IV Coloss. 17, Archippum sacrum munus, diaconi forsitan, Colossis Domini beneficio accepisse [13]): nisi quod negligentius videtur administrasse; etiam eodem loco apostolus Colossenses iubet Archippo suo nomine dicere, ut muneri ecclesiastico satisfacere studeat. Nihilominus v. 2 epistol. ad Philem. *συστρατιώτης* Pauli nominatur, h. e. is, qui in re propaganda Christiana labores et calamitates aeque ut Paulus tolerat, cf. II Philipp. 25. Fieri potuit, ut Archippus prae hoc aliove quo omiserit eleemosynas in pauperum Christianorum commoda colligere ac distribuere, item aegrotorum curam habere, quibus in rebus apud ecclesiam antiquam diaconi munus constitit. In VIII lib. constitut. apostolic. [14]) cap. 46 litteris est consignatum, Archippum episcopum civitatis Laodicensis creatum esse; sed res ea haud satis certa. Graecis placuit [15]), virum sub imperio Neronis, quo

---

13) Mea certe opinione maxime nativum est, in IV Coloss. 17 particulam *ἐν κυρίῳ* Paulo adeo amatam ad vocem *παρέλαβες* trahere. Ab aliis refertur ad vocabula *τὴν διακονίαν*: ita proponitur munns in Domino Christo, i. e. munus, quod ad Christum respicit, munus Christianum. — Hieronymi iudicio Archippus fuit episcopus Colossensis; quam opinionem traditionem vocare haereo.

14) Cf. etiam Theodoreti ad IV Coloss. 17 observationem.

15) Vide Tillemontium loc. cit. pag. 667.

imperatore et Appia cum marito martyrium perpessa traditur, martyris coronam Colossis esse nactum.

XI. *Super conditione ecclesiae Colossensis.*

Ex quo Colossenses veram doctrinam Christi audierant, per eamque adorandam illam cognoverant gratiam, quam in mortalibus a poenis imperioque peccatorum redimendis Deus monstravit, evangelica doctrina solitos in Colossensibus et summi faciendos fructus spirituales tulit I Coloss. 6: fidem dico in Iesum Christum [16]) firmam, praeterea in cunctos Christianos caritatem I Coloss. 3, 4. Accessit ad haec bonus in ecclesia ordo II Coloss. 5. Verum pernicioso isto malo, quod in plerosque omnes coetus apostolici aevi Christianos invasit, etiam Colossensis et mea quidem sententia Hierapolitanus et Laodicensis infecti sunt. In iis quippe proh dolor! magistri falsi exorti sunt, qui contenderent, non Epaphram, sed sese genuinam, Paulinam, in omni terrarum orbe praedicatam tenere ac promulgare doctrinam Christianam [17]) I Coloss. 6, 23; qui profecto Christianam quandam doctrinam, at mixtam illam cum exitiosis erroribus proponerent, quique ne Colos-

---

16) „ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος θεοῦ" X Rom. 17.

17) Quo quidem Epaphrae apud Colossenses auctoritatem elevavere.

sensibus potissimum pro pura, quam Epaphrae debebant, doctrina Christiana adulterinam suam per speciosa argumenta et ad persuadendum apta instillarent, durum fuit periculum, II Coloss. 4, 8, 18. Quin ex II Coloss. 10 concludendum, pseudapostolorum doctrinam, utique aliquas eius partes apud fideles Colossarum reapse locum invenisse.

XII. *Disputatur de ingenio atque origine doctorum istorum, falsa promulgantium.*

Οὐδὲν ἀνθρώπῳ λαβεῖν μεῖζον, οὐδὲν Θεῷ χαρίσασθαι σεμνότερον — ἀληθείας. Plutarchus.

Ex sententiis bene multis neque iis prorsus conspirantibus, quas Viri doctissimi super istis pseudapostolis protulere, potiores attulisse, considerasse, quaque par est modestia iudicasse sufficiat: Cl. Iunkerus commentario in epistolam ad Colossenses hanc amplexatus opinionem est de *ψευδολόγοις* Colossarum: „fuerunt severae cuiusdam sectae Iudaeae asseclae et quidem (uti verisimile est), Alexandrino-Iudaizantes" a) magistros falsos fuisse *Iudaeos*, ex tribus his locis effici posse, arbitratur: I) „ex singulis quibusdam, quae in epistola nostra Paulina expressa sunt (ex singulis locutionibus, iunctionibus verborum, periodisque epistolae) velut ex I Coloss. 14, caet. (excelsam significat Dr. Iunkerus Messiae descriptionem, Iudaeae, et

quidem, quemadmodum videatur, doctrinae Alexandrinae oppositam); II, 8, 17, 18, 23 (παράδοσις τ. ἀνθρ. στοιχεῖα τ. κοσμ. σκιά, χειρόγραφον, σάββατα al.) Ephes. IV, 14 sqq." Huic ego argumento id obiicio: universae illae et cogitationes, et locutiones et verborum iunctiones et periodi perbene possunt istiusmodi praeceptoribus perversis opposita esse, qui oriundi ex Iudaeis, Christianam religionem professi essent, at tanquam Christiani nimium quantum Iudaeae adhuc religioni ac theosophiae cum genuina doctrina Iesu Christi parum convenienti adhaererent. Pergit Vir doctus: II) „Oppugnat apostolus in epistolis suis, verbi gratia ad Galatas, Romanos, Hebraeos, semper Iudaeos et Iudaeochristianos." Quibus verbis si hoc dicturus est Cl. Iunkerus, Paulum epistolis suis *nonnisi* Iudaeos atque Iudaeochristianos aggredi, falsi aliquid dixit; etenim nonnunquam, quin saepenumero adoritur homines ex gentibus ad Christum ductos, ut Ethnicochristianos in Iudaeos superbientes XI Rom. 13, 17, 18 sqq., v. 24; ut Ethnicochristianos, qui τῇ πίστει ἀσθενοῦντας Iudaeochristianos aspernarentur, iisdem obiicerent offendicula, atque adeo infelices redderent XIV Rom. 1—22, et qui ea ipsa agendi ratione concordiam ecclesiae Romanae turbarent XV Rom. 1 sqq. Idem Paulus epistola ad Galatas castigat tales Ethnicochristianos, quibus visum esset, subesse mosaicae legi, prae-

ceptis de diebus certis observandis IV Galat. 8, 9 sqq. Si epistolam ad Hebraeos missam respicias, quae opinioni ei, iuxta quam Paulus ἀμέσως illam conscripsit, adversantur, plura credo maiorisque momenti sunt, quam ea, per quae opinio defendi solet: quod fusius demonstrare, huius quidem loci non est. Sed id sibi forsitan vult Dr. Iunkerus iis, quae excitavi, verbis, Paulum omnibus suis epistolis praeter Ethnicochristianos, continenter etiam Iudaeos et Iudaeochristianos oppugnare (Viri docti mentem hanc esse, inde conficio, quod in sequentibus memorat vestigia paganismi in epistolis ad Romanos Corinthiosque aperte designata). Quodsi ita est, equidem non perspicio, quomodo jure ex hac sententia concludi queat, pseudapostolos Colossenses neque Ethnicochristianos neque Iudaeochristianos, sed Iudaeos tantum fuisse. — Adiicit Vir doctus: „quodsi hic (epistolam ad Colossenses dicit) pagana (orientalis, gnostica) philosophia intelligenda foret, quam super ea definite apostolus locutus esset? Ad minimum vestigia ethnicismi ita notasset perspicue, ut epistolis ad Romanos et Corinthios missis, quibus vel per vocabula ἔθνος, ἔθνη, ἐθνικὸν ethnicismus citra involucra designatur." Id vero minus ferit sententiam eam, secundum quam in epistola ad Colossenses theosophia potissimum *Iudaeochristiana*, cui placita aliqua pagana adiecta essent, est intelligenda: et

eam sententiam nobis probatam fatemur; super istiusmodi quidem theosophia Paulus sat definita fecit verba (cf. II Coloss.). De caetero errat Dr. Iunkerus, si opinatur, „philosophia orientalis, gnostica" idem plane esse, quod „pagana philosophia," quippe quum satis compertum sit, in philosophia orientali sive gnostica etiam Iudaea placita non pauca esse inventa. Hinc Iudaizantes gnosticos, quos inter exempli causa Cerinthus referri debet, commemorant, qui veram ecclesiae Christianae antiquae historiam perscribunt. III) declarat Vir. eruditus: „in epistola ad Titum I, 14 (μη προςεχοντες Ἰουδαικοις μυθοις και ἐντολαις ἀνθρωπων ἀποστρεφομενων την ἀληθειαν) reperimus locutionem Ἰουδαικος ab apostolo usurpatam, et quidem in tali cohaesione, qua locus ille cum II Coloss. 8 penitus reddatur consentiens. Quae in epistola ad Titum Paulus perspicue eloquitur, ea et in epistolis ad Colossenses Ephesiosque [18]) intellecta vult. Quod illic appellat Ἰουδ. ἐντολας, id hic est Paulo παραδοσις των ἀνθρωπ., sicuti Ἰουδαικοι μυθοι idem videtur sonare, quod φιλοσοφ. κ. κενη ἀπατη." Neganda sunt haec: Ἰουδαικαὶ ἐντολαὶ eiusmodi sunt praecepta Iudaizantia, quae ab ipsis magistris falsis quasi vere Christiana praecepta proferebantur. Particula παράδοσις autem τῶν ἀνθρώπων signi-

---

18) Potest quaeri, ubinam in litteris ad Ephesios datis?

ficat doctrinas ac praecepta, quae a maioribus potissimum tradita erant; Ἰουδαικοὶ porro μῦθοι partes quidem fuerunt τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης, sed an philosophia pseudapostolorum tota nonnisi μῦθοι Ἰουδαικοὶ fuerit, dubito. Ignoro insuper, qui hoc ipsum, quod vox Ἰουδαικοῖς in I Tit. 14 composita est cum verbis μύθοις et ἐντολαῖς ἀνθρώπων, eum locum efficiat prorsus concinentem cum II Coloss. 8. Alia esset ratio, si vocula Ἰουδαικοῖς in I Tit. 14 cum phrasibus φιλοσοφία καὶ κενὴ ἀπάτη, et παράδοσις ἀνθρώπων copulata esset. Praeterea ait Dr. Iunkerus: „verbis disertis epistola ad Titum I, 10 *in universum* dicitur ab apostolo: multos esse adversarios Christianae religionis et doctores falsos, a quibus mortales deterrendi sint, imprimis ex circumcisione (μαλιστα οἱ ἐκ της περιτομης)." Sententia certe nostra apostolus I Tit. 10 mentionem de solis Cretensibus pseudapostolis theosophicis iniicit, quandoquidem in praecedentibus quidem de presbyteris seu episcopis in insula Creta constituendis, deque illorum qualitatibus, in sequentibus autem de natura ipsorum Cretensium agitur, atque etiam verba Epimenidis Cretensis (εἶπέ τις ἐξ αὐτῶν ἴδιος αὐτῶν προφήτης): Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται κακὰ θηρία κ. τ. λ. confirmandis vocabulis ματαιολόγοι καὶ φρεναπάται, a Paulo I Tit. 10 horum pseudapostolorum respectu adhibitis, videntur laudata. At concedamus sane

Iunkero docto, dicendi formulam *μάλιστα οἱ ἐκ περιτομῆς* generaliore modo, nempe de falsis magistris per Chriſtianos coetus dispersis accipiendam esse, ea tamen, ut arbitror, unice recta est explanatio formulae illius, quam iuxta „praecipue *Christianos* doctores perversos, ex Iudaeis ortos" denotat; sic II Galat. 12 *οἱ ἐκ περιτομῆς* sunt Christiani ex Iudaeis (cf. IV Coloss. 11), = *οἱ ἐκ περιτομῆς πιστοὶ* X *Act.* 45. Hac ratione ne iis quidem, quae concessa a nobis sunt, clarum fit, Colossenses pseudapostolos exstitisse Iudaeos. Opinioni praeterea haec credimus repugnare: si ἑτεροδιδάσκαλοι Colossensium Iudaei fuissent, Colossenses igitur eo studuissent permovere, ut religionem Christianam cum Iudaica commutarent, Paulus dubio procul non praetermisisset, defectionem ab Iesu religione ad religionem Mosis attingere, peccatum gravissimum nominare, aliisque modis lectores epistolae primos monere, ne evaderent (si fas est, aliqua voce Tertulliani uti,) apostatae. Hoc scilicet et tale fecisse animadvertas virum illum revera apostolicum, sive Barnabas sit, sive Apollos, sive alius quis, cui epistolam ad Hebraeos debeas: qui ipsi, ne Christo spreto sectatores Mosis fierent, periculum haud exiguum erat. Omnino magistri Colossenses falsi si meri Iudaei fuissent, apostolus non credidisset, istos quosdam adhuc locos doctrinae Christianae tenere, id quod ex II Co-

loss. 19 al. videtur credere. Commentarii in epistolam ad Colossenses a se confecti pag. 44 Dr. Iunkerus: „aus dem Briefe selbst, inquit, ergiebt sich, daß es eine besondere species jüdischer Philosophie gewesen seyn müsse, die der Apostel widerlegt." Nullum egomet locum in epistola deprehendo, unde necessario consequatur, redarguere apostolum genus aliquod philosophiae, quae *solummodo Iudaea*, neque Christianis cum decretis confusa esset. Adiungit eruditus Vir pagina eadem: „Nicht bloß Juden, die dem mosaischen Gesetze streng ergeben, dasselbe den Neulingen des christlichen Glaubens mit allem Eifer aufzudringen bemüht waren, sind dort (id est litteris ad Colossenses) charakterisirt, sondern eine gewisse Gattung von Menschen, die durch eine besondere jüdisch-philosophische Bildung, durch ihre mit Wortgepränge vorgetragenen eigenthümlichen Theoremen und durch ihr ganzes anscheinend heiliges und sehr observanzmäßiges Betragen sich Ansehen und Einfluß bei der christl. Gemeinde zu verschaffen wußten." Demus, huiuscemodi genus mortalium epistola nostra describi, quamquam alia etiam afferri queant, quibus magistri Colossarum falsi notabiles fiant; verum annon potuere homines eiusmodi bene admodum Iudaeochristiani esse? Constatne, Apollonium verbi gratia, quin Paulum „eine besondere jüdisch-philosophische Bildung" consequutos esse, nihiloque secius discipulos Christi, atque adeo *κήρυκας τοῦ εὐαγγελίου* fuisse.

Habet l. c. Cl. Iunkerus ἱστορικῶς vehementer verisimile, philosophicos, de quibus quaestio est, doctores perversos b) „Die alexandrinisch-jüdischen Logosgelehrten," uti ait, fuisse, idque trium argumentorum ope, historicorum videlicet duorum et unius philosophici, est comprobaturus. Iam contemplemur I) *historicum argumentum primum:* si Dr. Iunkerus pag. 45, 46 Commentarii contendit, destructa Tyro nova Alexandriam primum orbis terrarum emporium evasisse, mercesque cum scientiis suis remotiores in terras sparsisse, itemque negotiando cum Epheso, quod oppidum esset mercatorium divitiisque, artibus, scientiis florens, vel aevo apostolico consociatam fuisse [19]), non possum ea non concedere. At si Vir doctus declarat, Ephesum cum urbibus circa sitis ista coniunctione per mercaturam effecta, philosophicae Alexandrinorum eruditioni assuevisse, si existimat, multo se iure id posse contendere, etiam philosophicam Iudaeorum Alexandrinorum doctrinam („die Lehrweisheit, die man in Alexandrien jüdische Philosophie genannt habe"), ad Ephesum urbesque circa

19) Sententiae eius, a Dr. Iunkero pag. 45 propositae: „Die (sc. Epheso) benachbarten phrygischen Orte Colossae, Hierapolis, Laodicea standen bekanntermaßen schon seit den Zeiten des großen mazedonischen Königs im innigsten Verbande mit Alexandria, der berühmten Hauptstadt Aegyptens;" iustae apud Virum doctum requiruntur rationes historicae.

Ephesum aedificatas negotiando translatam, equidem argumenta antiquis ex auctoribus hausta, per quae probentur haecce, desidero. Inde quod Ephesus copulata cum Alexandria erat instituta rerum mercatura, hoc solummodo redundat, potuisse Ephesum et, quae circa Ephesum invenirentur, urbes, philosophicam Alexandrinorum Iudaeorum doctrinam Alexandria accipere. — Docet Cl. Iunkerus pag. 46—48: „Alexandriam sub imperio Ptolemaeorum principalem sedem eruditionis factam, paganam et Iudaeam eruditionem illa in urbe promotas; praeterea Iudaeos multos Alexandriam migrasse, ibidem non solum systema orientale, sed Graecam quoque et linguam et philosophiam, imprimis Pythagoraeam ac Platonicam cognosse; postremo ex antiquitatis universae Graecae studiis atque Iudaea eruditione particulari (venia sit verbo!) confusis mixturam quandam singularem sapientiae Graeco-Iudaeae natam esse, quae Alexandriae nomine philosophiae Iudaeae vehementer celebraretur, multis probaretur." Tametsi generalioribus iis assentior, quibus Alexandrinae et eius Iudaeae philosophiae *origo* ostenditur, nec vero demonstratur, ἑτεροδιδασκάλους Colossenses „alexandrinisch-jüdische Logosgelehrte" fuisse, aliquibus tamen specialibus, quae interserta sunt, subscribere non sustineo, veluti quum dicit Dr. Iunkerus: „Ptolemäus Philadelphus legte hier (i. e. Alexandriae) jene be-

berühmte, die gesammte griechische und römische Litteratur umfassende Bibliothek (von 700,000 Bänden, die größte und ausgezeichnetste des Alterthums) an, welche später im Zeitalter Theodosius des Großen durch barbarische Christen unter ihres fanatischen Erzbischofs Theodosius Anführung (nicht durch Araber unter Omar, wie gewöhnlich behauptet wird) durch Feuer vernichtet wurde." Inde a temporibus Caesaris dictatoris Alexandrina bibliotheca, quam Orosius VI lib. operis sui, cap. 15 singulare monimentum studiic uraeque maiorum (Ptolemaeorum nimirum) vocat [20]), in templo (templis) Serapidis sive in Serapeo [21]) videtur servata. Iam ex Socrate lib. V histor. ecclesiastic. cap. 16 patet, Theophili, episcopi Alexandriae studiis imperatorem Theodosium permotum, ut iuberet, delubra ethnicorum, Alexandriae fundata, Theophili cura destrui. Auctor est Sozomenus lib. VII histor. ecclesiast. cap. 15, Serapium a Christianis (Alexandrinis) occupatum; et Socrates loc. cit., Theophilum (non Theodosium episcopum) subvertisse (*κατα-*

20) Alia est Senecae in libro de tranquill. animi cap. 9 hoc scilicet nomine sententia. Nempe quidam bibliothecam elegantiae regum curaeque egregium opus dixerat fuisse; contra Seneca: „non fuit elegantia illa aut cura, sed studiosa luxuria; immo ne studiosa quidem, quoniam non in studium, sed in spectaculum comparaverunt." Durius sine dubio effatum.

21) Sozomenus statim excitando aperit loco: „*Σεράπιον, ναὸς δὲ οὗτος ἦν, κάλλει καὶ μεγέθει ἐμφανέστατος* (cf. Theodoreti ecclesiast. histor. lib. V, cap. 22), *ἐπὶ γεωλόφου κείμενος.*"

στρέφει)[22]) Serapium, quod vero tempore non ita multo elapso in aedem dominicam, imperatori Arcadio cognominem, conversum esse docet Sozomenus loc. cit. Alexandrinae bibliothecae historiae lucem affundit vox Pauli Orosii, circa a. CCCCXVII viventis, qui lib. XVI historiar. adversus paganos, cap. 15 in hunc modum: „Quamlibet hodieque in templis extent, quae et nos vidimus, armaria librorum, quibus direptis exinanita ea a nostris hominibus, nostris temporibus memorent, quod quidem verum est." Ex quo effato hoc duntaxat confecerim, armaria librorum, dum Serapium caperetur a Christianis et everteretur, multis profecto privata libris esse, ita ut exinanita fere viderentur; crediderim, partem librorum servatam feliciter, bibliothecam licet non amplam restitisse, sequente forsitan tempestate ingeniorum humanorum operibus adauctam. Haec ut ponam, Gregorius Abulpharagius, saeculi XIII scriptor facit, is, qui „brevem historiam dynastiarum" composuit, in eaque retulit: Amrum, unum e ducibus Omari, Alexandria (a DCXL) potitum; Ioannem Grammaticum, qui ageret Alexandriae, visisse Amrum, propterque eum, quem inter homines eruditos obtineret locum, honoratum ab Amro esse, philosophica Ioannis colloquia lubenter audiente. Iam pergit auctor

22) Cf. etiam Theodoretus loc. cit.

Arabs hoc pacto [23]): Eines Tages sagte Johannes zu ihm: „Du bist nun überall herumgegangen, wo in Alexandrien etwas aufbewahrt wird, und hast alle Werke, die daselbst gefunden werden, versiegelt. Was solche Dinge anbelangt, die dir können nützlich seyn, da will ich nichts davon verlangen; Dinge aber, die dir keinen Nutzen bringen, gehörten billiger uns. Was sind das für Dinge, deren du bedarfst? fragte Amru. Die philosophischen Schriften, war die Antwort, welche in der königlichen Bibliothek aufbewahrt werden. Amru versetzte ihm: ich habe nicht Macht, hierüber etwas zu verordnen, bevor ich die Erlaubniß vom Fürsten der Gläubigen Omar, dem Sohne Chattabs, dazu habe. Er schrieb aber an den Omar, und benachrichtigte ihn von der Bitte Johannis. Dieser aber ließ ein Rescript an ihn ergehen, des Inhalts: Was die Bücher anlangt, von denen du meldest, so wisse: entweder stehen Sachen darinnen, die mit der göttlichen Schrift (dem Koran) übereinkommen, so hat man schon an der göttlichen Schrift genug. Oder es stehen Dinge darinnen, welche der göttlichen Schrift widersprechen, so bedarf man ihrer nicht, und also befiehl, daß man sie vernichte [24]). Amru, der Sohn Aa's, ließ sie also durch

23) Deficiente me Arabico Abulpharagii autographo, adhibui des Gregorius Abulfaradsch kurze Geschichte der Dynastien, aus dem Arabischen übersetzt von M. Georg Lorenz Bauer, tom. I. p. 165, 167, 168.

24) Non inscite Herderus libro, qui inscribitur: Ideen zur Philosophie der Geschichte der Menschheit, tom. IV, p. 301, meruere contendit celebrem illam conclusionem rationis, „immerhin der Khalifen Vernunftschluß genannt zu werden."

die alexandrinischen Bäder vertheilen und sie verbrennen und diese damit heitzen. Sie wurden innerhalb 6 Monaten verbrannt." Universa relatio, ob quas similis fabulis [25]) vel penitus fabulosa iudicanda sit, iustae mihi non succurrunt causae. Confiteor, nonnulla illius momenta minus esse vero similia, nonnulla ornandae fortasse historiae gratia ab Abulpharagio addita, exempli causa, quod bibliothecae Alexandrinae libri demum semestri spatio exstincti sint. At vero ubi tradit, regiam adhuc septimo saeculo fuisse Alexandriae bibliothecam, eandemque Omaro imperium obtinente per Arabes combustam, haec nullus dubito, quin vera sint historia. Potuit Abulpharagius scire, et verum opinor dicturus erat; non deprehendo ego consilium, rationi sanae accommodatum, cuius ergo illa, quae significavi, Abulpharagius de suo ipsius ingenio sumpserit ac finxerit [26]).

---

25) Quae de novissima clade bibliothecae Alexandrinae ab Abulpharagio pronuntiantur, Heynius praecipitanter, si quid ego video, fabulis similia esse opinatur; cf. prolusionem Viri magni de genio saeculi Ptolemaeorum, in volumen I opusculorum eius academicorum (pag. 76—134) receptam. Aliis e contrario neque indoctis iis viris nulla est dubitatio de veritate narrationis Arabis suborta. Recensendus inter eos Bonamy, qui dissertationem historicam „sur la bibliothèque d'Alexandrie" exaravit. Reperias in mémoires de litterature, tirés des registres de l'Academie Royale des inscriptions et belles-lettres, tom. XIII, p. 615—645, ed. à Amsterdam MDCCXLI.

26) Bauerus versionis, cuius inieci mentionem, praefatione: „Die Richtigkeit seiner (id est Abulpharagii) Nachrichten

Pag. 48, 49 Dr. Iunkerus declarat: Christianam religionem multa, quae Iudaicae et orientalibus scholis consona, et Alexandriae iam ante tradita essent dogmata, complexam. Subiungit quadam nota: „Ein Umstand, welchem Euseb. histor. ecclesiastic. II, 16 die schnelle Ausbreitung des Christenthums in Alexandrien zuschreibt." Nequaquam id commisit episcopus Caesareae laudato loco. Narrat potius, Marcum ad famam mortalium perrexisse in Aegyptum, evangelium a se pertextum promulgasse, principemque divinos coetus Alexandriae condidisse. Tantam igitur vim virorum et feminarum Alexandriae in Christum credentium, ἄσκησιν (vitam asceticam) summe philosophicam (i. e. philosophicis e rationibus unice profectam aut philosopho

---

ergiebt sich aus ihrer Vergleichung mit andern bewährten Historikern, einem Abulfeda, Eutychius, Al. Makkim." Sane Abulpharagius unus ultima fata bibliothecae Alexandrinae narrat; sed si cactera, quae refert, recta sunt, cur hoc putandum falsum sit, non intelligitur. — Magni ductus est Abulpharagius ea, qua polleret, rerum scientia. Prooemium, historiae dynastiarum praefixum id suggerit: „diese folgende Geschichte hat erzählt unser Gönner und Herr der heilige, fromme und biedere Vater, der größte Gelehrte, ja ein König unter den Gelehrten, der Vorzüglichste, das Muster, der Phönix seines Zeitalters, der Stolz der Besten und Weisesten, der Lehrer von göttlichem Genie. War Gregorius Abulpharadsch, der Sohn des trefflichen Arztes Ahron zu Malatia (locus fuit occidentali in ripa fluminis Euphratis positus), den Gott mit seiner Barmherzigkeit überschütten wolle"; nimis elata est laus doctrinae, quae erat in Abulpharagio; at certo non omnis vana.

dignissimam) maximeque severam ab initio primo (scil. profitendae religionis Christianae) exercuisse, ut Philo studia eorum, conventus, convivia ac reliquam cunctam rationem vivendi scripto exponere dignatus sit. Quod restat, observandum, Eusebium his verbis, item II histor. ecclesiast. cap. 17, Therapeutas Iudaeos cum asceticis Christianis permutasse; quod post Hieronymus quinto saeculo, undecimo saeculo Cedrenus, Graecus monachus, recentiore aetate Benedictinus Bernhardus Montefalconius [27]), aliique fecere. Photius in CIV cod. bibliothec. non item.

Pag. 49 commentarii in epistolam ad Colossenses vult cl. Iunkerus, religionem Christianam multis esse partibus deformatam per illum syncretismum (hoc est per Graecam philosophiam et doctrinam Iudaeam commixtas). Ibidem subiicit annotatione aliqua: „So vereinigten z. B. viele Sectirer, wie Basilides, Marcion, Manes und Andere die christlichen Lehrsätze auf gleiche Weise mit den morgenländischen und neuplatonischen, so daß man die reinen Lehren des Urchristenthums nur mit Mühe wieder heraus zu suchen bemüht seyn mußte." Quod Marcion Manesque Christiana placita confuderint cum Neoplatonicis, de eo nihil nobis est

27) Vide eius observationes ad Philonis περὶ βίου θεωρητικοῦ, ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν scriptum, quod in linguam Gallicam a se translatum a. 1709. Paris. vulgavit Montefalcon.

compertum. Neque potest testimoniis antiquitatis Christianae probari. — Dicit Vir doctus p. 49: „Dadurch, daß das Judenthum in Alexandrien völlig eine philosophische Gestalt angenommen hatte, waren die an das Phantasiereiche ohnehin gewohnten Heiden durch den Vortrag der Lehre vom *Λογος*, als dem hauptsächlichsten Momente der Alexandrinisch-jüdischen Philosophie, leicht für das Judenthum zu gewinnen. So mag auch nach Ephesus, Kolossä und der Umgegend *die ganze* jüdische Logostheorie gekommen seyn." Potuit fieri; sed revera factum, gravibus adhuc argumentis docendum restat. Denique universam Iudaeam de *λόγω* theoriam pervenisse Ephesum, Colossas et regionem circa sitam, cl. Iunkerus credit posse se perspicue concludere ex sublimi descriptione Messiae (*λογου* Christiani) I Coloss. 13 sqq., quae metaphysicae illi super *τῷ λόγῳ θεωρίᾳ* obiecta sit; cf. pag. 49 commentarii laudati. Nobis quidem existimatur nativius, sumere, locum I Coloss. 13 sqq. istiusmodi opinionibus Christianis, quibus de divina natura ac summa dignitate Iesu detraheretur, oppositum esse. Ex illo loco quomodo efficere queas, meram Alexandrino-Iudaeam de *λόγῳ* doctrinam non Colossas modo, sed etiam *εἰς τὴν περίχωρον* esse perlatam, parum perspicio; mihi certe videtur esse conclusio audacior.

Iam vero consideremus II) *philosophicum illud argumentum*, quo cl. Iunkerus evincere conatur, *ψευδοδιδασκάλους* Colossarum die alexandrinisch-

jüdischen Logosgelehrten fuisse; ait p. 49 commentarii supra allati: „aus den Haupttheilen der Briefe an die Epheser und Colosser selbst ergiebt es sich mit vieler Wahrscheinlichkeit, daß jene philosophischen Ideen wesentliche Punkte der alexandrinisch-jüdischen Logostheorie gewesen seyn mögen." Hic quaerere licet, sintne sub verbis „jene philosophischen Ideen" ideae, quae epistola ad Colossenses continentur, Paulo propriae intelligendae, an ideae pseudapostolorum? posterius, uti videtur, Vir doctus sibi vult. At perbene cogitari potest, pseudapostolos quasdam *περὶ τοῦ λόγου* ideas, Iudaeis Alexandrinis probatas habuisse, et tamen neque Iudaeos ex Alexandria ortos fuisse, neque ideas hasce petiisse Alexandria; etenim ideae de *τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ* (de revelatore Dei incomprehensibilis consummato) religionum systematis Indorum, Persarum[28]) et aliorum hominum antiquorum continebantur, indeque commode a doctoribus falsis hauriri potuere.[29]) Ad hoc dicit Dr. Iunkerus: „Der Apostel schreibt — in jenen Briefen (scil. ad Ephesios et Colossenses) dem Messiasgeiste fast alles dasjenige zu, was

---

28) Cui regni lucidi rex, Oromazes Persicus, non innotuit, per quem infinitum tempus (Zeruâné Akerené), quod invisibilis deitatis et incomprehensibilis locum teneret, quodque ante omnia, omnibusque maius esset (vide Zend-Avestam ab Anquetilio foras datum, tom. II, p. 344, n. 1), revelaretur, cuncta procreasset, rel.?

29) Potest cum *λόγῳ τοῦ θεοῦ* comparari Platonis *νοῦς*, quo Platonicum *αὐτὸ ἀγαθὸν* (id, quod per se et ex se bonum est) conspicuum redderetur rebus creatis, ac perspicuum.

die alexandrinischen Juden unter dem Worte λογος zusammenfaßten." Recte dicit Vir doctus. Sed quoniam falsi doctores Christiani, olim Iudaei, neque certo ii cum Alexandria iuncti, infitias iverant, quae in voce λόγὸς etiam ex eruditis Iudaeorum scholis comprehensa essent, Iesu Messiae competere, potuit apostolus sic, quemadmodum ait Dr. Iunkerus agere, tales, quales modo innui, doctores perversos adoriens. Pag. 50 Dr. Iunkerus ingenue fatetur, „apostolum voculam λογος significatu eo (quo videlicet Iudaeis Alexandrinis crepetur), nusquam adhibere." Hinc ego eam fecerim coniecturam, Colossenses ψευδολόγους non adeo saepe vocabulum λόγος in ore habuisse, eaque de causa tanto minus Logosgelehrte appellandos. Item cl. Iunkerus l. c.: „In keiner andern Schrift redet er (Paulus) von der göttlichen Erhabenheit des Messias so eigenthümlich, so vollständig, so kraftvoll, als hier," (sc. epistola utraque modo nominata). Non omnia haec ego existimo esse vera; apostolus aliis quoque scriptis de dignitate Messiae ratione tam singulari tamque efficaci loquitur, quam epistolis ad Colossenses Ephesiosque: II Corinth. 4, 4 atque I Coloss. 15 audit Christus εἰκὼν τοῦ θεοῦ; defendit Paulus I Corinth. 8, 6 et I Coloss. 16, universa creata per Christum; Christum I Corinth. 11, 3 et I Coloss. 18, I Ephes. 22, V Ephes. 23 κεφαλὴν nuncupat Christianorum, ut alia huc pertinentia praeteream. Quod paganorum apostolus litteris ad Co-

lossenses, ut I, 15 sqq., divinam Messiae Iesu dignitatem adeo perfecte potenterque describit, ex eo citra coactionem omnem explicandum, quod falsi Colossarum magistri systemate suo quasi Christiano „die göttliche Erhabenheit" Iesu Messiae denegavere. Similiter ab viro illo apostolico, cui litteras ad Hebraeos referas acceptas, insignis, qua Iesus prae cunctis angelis gaudet, dignitas ea re inculcatur (I ad Hebr.), quia frivole inter Hebraeos sive Hebraeochristianos istos reiiceretur. Itaque necessarium non est, ut amplexemur, quod cl. Iunkerus cit. loc. iam eloquitur: „den Messiasgeist so zu schildern, wie es Col. I, 13 der Fall ist, dazu scheint er (sc. Paulus) aber eben dadurch veranlaßt worden zu seyn, daß die philosophirenden Juden ihre spitzfindige Logoslehre unter jene nach ihrer frühern Bildung sehr empfängliche Christengemeinde ausbreiteten, um dieselbe zum Judenthume zu verleiten." His praeter alia, haec subiungit Iunkerus doctus, quae quidem haud satis probari queant ex epistola nostra: „Es war dem Apostel die angelegentlichste Sorge, in seinem Schreiben gründlich zu zeigen, daß sie (i. e. Colossenses) von den jüdischen Philosophen sich nicht möchten berücken und von ihrem Glauben ablenken lassen; der christliche Messiasgeist sei der — Menschgewordene — in jedem Betrachte weit vorzüglichere Geist, als der λογος jener phantasiereichen Juden."

Pag. 50 — 52 proponit eruditus Vir principalia de λόγῳ θεωρήματα, eademque (ut aliqua

voce Plauti utar) graecissantia. Profert Philonem, qui ponat *λόγον* duplicem, quorum unus in incorporeis, et ad exemplaria accommodatis ideis, ex quibus mundus constet intelligibilis, versetur; alter visibilibus in rebus, quae imagines sint illarum idearum, et visibilem mundum constituant, cf. Philon. de vita Mosis III, pag. 520; opp. Philon. ed. Colon. Allobrog. Bene defendit Vir doctus, *λόγον* posteriorem repraesentari a Philone, a) „ut mediatorem adiuvantem, quasi instrumentum Dei in actu creationis mundi; b) ut instrumentum, quo Deus mundum conservet ac dirigat, cursum rerum ordinet efficiatque, fata mortalium regat, malos puniat, bonos beneficiis afficiat, inter eos invisibilis ambulet caet.[30]); c) ut magistrum hominum, qui

---

30) Tanquam locum ea comprobantem excitat doctissimus Iunkerus librum Philonis *περὶ τοῦ ὅτι ἄτρεπτον τὸ θεῖον* (quod Deus sit immutabilis) p. 248. (opp. edit. Colon. Allobrogum): „*χορεύει γὰρ ἐν κύκλῳ λόγος ὁ θεῖος, ὃν οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ὀνομάζουσι τύχην· εἶτα ἀεὶ ῥέων κατὰ πόλεις καὶ ἔθνη καὶ χώρας, τὰ ἄλλων ἄλλοις, καὶ πᾶσι τὰ πάντων ἐπινέμει, χρόνοις αὐτὸ μόνον ἀλλάττοντα παρ᾽ ἑκάστοις· ἵνα ὡς μία πόλις ἡ οἰκουμένη πᾶσα, τὴν ἀρίστην πολιτειῶν ἄγῃ δημοκρατίαν.*" Locus autem propterea hic minus quadrat, quod non Deus per *λόγον*, sed ipse *λόγος* divinus dicitur *ἐν κύκλῳ χορεύειν κ. τ. λ.*: aptiorem hic ego esse credo locum, qui obvius est libro Philonico *περὶ ἀποικίας*, (de migratione Abrahami): „*τίς ἂν — εἴη, πλὴν ὁ λόγος ὁ πρεσβύτερος τῶν γένεσιν εἰληφότων, οὗ καθάπερ οἴακος ἐνειλημμένος ὁ τῶν ὅλων κυβερνήτης, πηδαλιουχεῖ τὰ σύμπαντα, καὶ ὅτε ἐκοσμοπλάστει, χρησάμενος ὀργάνῳ τούτῳ πρὸς τὴν ἀνυπαίτιον τῶν ἀποτελουμένων σύστασιν.*"

singularem a Deo atque incomparabilem tulerit sapientiam, quam cum probis communicet. Iam lectorem cohortatur Iunkerus doctus, ut I cap. Coloss. inspiciat diligenter, ubi ex facili observandam allusionem ad haec θεωρήματα deprehendat." Nos nulli dffitemur, in I cap. epist. ad Coloss. Iesum Christum sisti eum a Paulo, per quem Deus universa produxerit conservetque, et qui idem imago Dei sit, i. e. tribui Iesu Christo ab apostolo permulta, quae ab eruditis Iudaeis Alexandriae τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ adscriberentur. Ita vero Paulus ob eam rem gessisse sese videtur, quia falsi doctores Colossenses Christiani infitiarentur, Iesum Christum divinas tenere qualitates, opera divina consummasse et consummare. Fateor, me ne capite quidem primo epistolae reperire quicquam, quo subigar ut statuam, vel quo fiat verisimile, pseudapostolos, de quibus agitur, alexandrinisch-jüdische Logosgelehrte fuisse. Pag. 52 — 54 commentarii sui studet Vir doctus monstrare, quomodo doctrina de λόγῳ a mortalibus mentis vi exculta, temporibusque nascentis rei Christianae cum placito de filio Dei sit copulata. Eorum quoque, quae pag. 52 — 54 suppeditat, nonnulla, firma indigent probatione, veluti quum ait: „Die Kirchenlehrer forschten demselben (i. e. notioni filii Dei) immer tiefer nach, und geriethen durch Conjectiren aus dem Worte Sohn Gottes auf die Lehre von der Zeugung (γεννησις, generatio)

des Sohnes von Gott als dem Vater." Equidem crediderim, patres ecclesiae doctrinam περὶ τῆς γεννήσεως τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ ecclesiasticam ex I Hebr. 5, V Hebr. 5, XIII Act. apostol. 13 (cf. II Psalm. 7), quique alii Novi Instrumenti loci huc spectant, conformasse.

Reperias pag. 54—57 commentarii supra excitati III) *novum argumentum historicum*, cuius ope est cl. Iunkerus demonstraturus, perversos magistros Colossenses „die alexandrinisch-jüdischen Logosgelehrten" exortos. Affert Iosephum, ex quo percipiatur, Antiochum regem duo Iudaicarum familiarum millia, e Mesopotamia Babyloniaque in Lydiam ac Phrygiam hac mente transtulisse, ut eas concedenda libera cultus divini ad vetera praecepta Mosaica exercitatione, item magnis privilegiis impertiendis, simul cum res novas molientibus semperque tumultuosis Asianis tanto sibi magis obstrictos redderet et deditos. Adspergit Vir doctus, inde intelligere nos facilius, quomodo metaphysice philosophandi ratio, quam habuissent Iudaei, in recens fundatas ecclesias Christianas, partemque maximam ex Ethnicochristianis compositas, eo celerius perniciosam vim exserere quiverit. Putat Dr. Iunkerus, historicum hoc testimonium Iosephi, duo argumenta sua, quibus ψευδοδιδασκάλους quasi „jüdisch-alexandrinische Logosgelehrte" repraesentare studuit, magis facere rata, et tanquam vera quasi confirmare. Deni-

que ex Iosepho constare memorat, Asiae minoris Iudaeos, ubi venissent in dicionem Romanorum, privilegia eadem retinuisse, etiamsi Graeci, qui illam Asiam incolerent, saepius orarent Romanos, ut exterminarent Iudaeos, propria tum lege tum veneratione Dei vitam degentes. Imperatorem Augustum ac Marcum Agrippam emisisse edicta, in favorem Iudaeorum composita: quod comprobaturus, provocat Vir eruditus ad Ioseph. antiquit. lib. XVI, cap. 1, §. 1, 2, 3, 4, 6; lib. XII, cap. 3, §. 2." Ex omnibus iis hoc solum sequitur, potuisse Iudaeos Colossis versantes, si „alexandrinisch-jüdische Logosgelehrte" ibi commorarentur, placita eorum approbare, et apud Ethnicochristianos propagare; ultra (fidem in) posse nemo (historicis illis momentis) obligatur. Profecto historica ea, quae affert Dr. Iunkerus, neque rata faciunt confirmantque priora, quae Vir doctus sustentandae suae ὑποθέσει protulit argumenta duo, neque omnino demonstrare valent, pseudapostolos Colossenses „die alexandrinisch-jüdischen Logosgelehrten" fuisse, id quod existimator quilibet intelligens atque ingenuus fatebitur. Quum igitur Viri docti super pseudapostolis Colossensibus sententia argumentis nitatur infirmioribus, ex parte nullis plane, sententiam amplexari egomet non sustineo.

Perillustris Eichhornius introductione in N. T. tom. III, part. 1, pag. 287—296 hanc

vulgavit coniecturam de falsis Colossarum praeceptoribus: „man möchte beinah für Juden entscheiden, welche durch einen Nimbus äußerer Heiligkeit blendeten, und bei den Christen mehr durch den Schein überirdischer Heiligkeit und durch allgemeine Anpreisungen der seligen Folgen einer übertriebenen Strenge gegen den Körper und die sorgfältige Feier gewisser heiliger Tage, als durch wörtliche Bestreitung des Christenthums und feindselige Angriffe auf dasselbe zu Einfluß gekommen waren [51]). Nur zwei Stellen kommen hiebei in Betracht: die erste, wo ihnen eine *φιλοσοφία κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, καὶ οὐ κατὰ Χριστὸν* beigelegt wird (2, 8), — setzt nicht nothwendig voraus, daß sie Christen gewesen sind. „Laßt euch nicht fortreißen durch eine Lehre, die bloße Menschensatzung und keine Lehre Christi ist" kann ganz ungezwungen den Sinn haben, daß solche Menschensatzungen sich nicht mit dem Geiste des Christenthums vereinigen lassen." Sane verba illa apostolica hoc modo accipienda sunt: ne quis vos o Colossenses! quasi praedam suam a genuina Iesu Christi doctrina abducat per theosophiam istiusmodi, quae congruit traditioni humanae, neque cum natura religionis Christianae conspirat. At docemur ecclesiae

51) Pag. 294, tom. III. Isagoges, ait b. Eichhornius: „Wir bedürfen keinen besondern Namen für sie, um den Brief im Geiste seines Ursprunges zu lesen: er bezeichnet Meinungen und Betragen der überspannten Menschen deutlich genug, um uns von ihnen eine deutliche Vorstellung zu machen." Significat Vir prudens perversos Colossarum magistros.

Christianae historia, saepenumero exortos *in ea*, qui hanc talem theosophiam proponerent. Quos inter quominus perversi praeceptores Colossarum referantur, obstat nihil. Quasi alterum locum iam respiciendum, designat b. Eichhornius eum, quo *ψευδοδιδάσκαλοι* depingantur, ut *οὐ κρατοῦντες τὴν κεφαλὴν, ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα αὔξῃ τὴν αὔξησιν τοῦ Θεοῦ* (2, 19). — „*Οὐ κρατοῦντες τὴν κεφαλὴν* scheint Leute zu bezeichnen, die dem Christenthum gar nicht anhängen, und nicht etwa Leute, die mit dem Christenthum noch andre Lehren verbinden, weil im letztern Falle stehen müßte: „die sich nicht an das Oberhaupt allein halten."" Rectiorem esse puto equidem eam particulae explanationem: falsi doctores proponuntur ut mortales, qui Iesu Christianae ecclesiae capiti, firmiter constanterque non adhaerescant, postquam Christum, Christianamve religionem amplecti [32]) sive profiteri incepere; tales quoque nullo non tempore *Christiano in orbe* inventi. Sic ambae, ad quas Eichhornius provocat, dictiones sententiam, ex qua de hominibus non Christianis in epistola nostra cogitandum, certo non stabiliunt. Pergit Vir doctissimus loc. cit.: „Es werden diese dem reinen Christenthum gefährliche Menschen in keiner Stelle des Briefes als Christen bezeichnet." Urgendum, doctores falsos ne ceu puros putos quidem Iu-

---

32) *Κρατεῖν* (retinere) antecedi a *λαμβάνειν* (prehendere), quis est, qui ignoret?

Iudaeos in epistola usquam repraesentari. Immo, quaecunque in magistris falsis notantur per epistolam, in magistris falsis Christianis commodissime potuerunt exsistere. Quid? coniicere ex II Coloss. 6 licitum est, pseudapostolos doctrinam quidem Christianam, sed non Pauli, sed *non puram* divulgasse [33]). Subiicit illustris Vir: „stimmt nicht der ganze Inhalt des Capitels, das gegen sie gerichtet ist, besser auf ganz fremde Religionsverwandte, als auf judaisirende Christen?" Ego secus sentio: secundum epistolae caput perill. Eichhornius ob oculos videtur habere. Verum vel argumentum locorum II Coloss. 6 (ὡς caet.), 7 (καθὼς caet.) Christianos potissimum magistros falsos perstringit. Mox cl. Eichhornius: „Hält nicht Paulus es für das beste Mittel, die Neubekehrten vor ihrem (sc. ψευδολόγων) Einfluß zu verwahren, wenn er Jesum als den höchsten Lehrer, und seinen Lehrbegriff als die einzig ächte religiöse Wahrheit darstelle; gleich als ob diese den Christen zu Kolossen gefährlichen Menschen weder Christus für den höchsten Lehrer, noch seinen Lehrbegriff für göttliche Wahrheit angesehen hätten? und könnten sie in diesem Falle judaisirende Christen gewesen seyn? Diese ließen ja Christum für den höchsten Lehrer gelten (?) und wollten nur seinen Lehrbegriff aus dem Judenthum ergänzen." Frustra locum quaero in litteris ad Colossenses, quo proponatur Christus

33) Immo II Coloss. 19 designantur ψευδοδιδάσκαλοι Christiani.

instar „magistri supremi." Quod Paulus doctrinam a Christo profectam ut veritatem divinam unice veram sistit, facit iccirco, quia pseudapostoli doctrinam Christianam propagarent adulteratam. Id committentes dubio procul potuerunt esse Christiani tum Iudaizantes, tum theosophici, qui commenta doctrinae Christianae temere a se admista, non ex Iudaea solum sed aliunde etiam, vel e suo ipsorum ingenio petierant. Eichhornius p. 289, 290: „Was ließe sich sonst für ein Grund denken, warum der Brief an die Kolösser geflissentlicher und mit stärkern Ausdrücken als andere Briefe des Apostels Jesum als das Ebenbild Gottes oder als einen Lehrer schildert, der sich, wie sonst kein anderer Lehrer, Gott der höchsten Intelligenz und dem Ideal der Heiligkeit in Einsichten und Tugenden genähert habe, und daher das höchste Muster der Nachahmung für Menschen sei? (scil. Was sonst für einer, als der, daß die Irrlehrer weder Christum für den höchsten Lehrer, noch seinen Lehrbegriff für die göttliche Wahrheit angesehen haben.)" Hanc enarrationem dictionis εἰκὼν τοῦ θεοῦ, quae quidem I Coloss. 15 legitur, iustam iudicare nequeo. Quam mihi certe contextus desiderare videtur interpretationem excursu quodam tertio, calci huius libri subiuncto, videsis expositam. Si mittit eruditissimus Vir hanc vocem: „Aus welchem Grunde sonst hätte der Apostel den christlichen Lehrbegriff umständlicher denn anderwärts als die einzige religiöse Wahrheit vorgestellt, die im Stande gewesen sei,

ein moralisches Reich Gottes auf der Erde zu gründen, und die ganze Menschheit umzubilden, wenn er nicht mit der scheinbaren Weisheit eines ganz andern Lehrbegriffs in Contrast stehen sollte?" voci calculum adiicere album non haesito, si particula „ein ganz anderer Lehrbegriff" falsa intelligitur doctrina *Christiana*, qua verbi gratia Christi Iesu diminueretur dignitas caet. Ibidem pronuntiat b. Vir: „Er (scil. Paulus) behandelt sie (sc. magistros falsos) bloß wie solche, die durch ihren Wandel das Christenthum in Schatten zu stellen schienen und die Christen durch ihn blendeten." Profecto ita agit apostolus II Coloss. 18, 19, quem locum excitat Eichhornius pro eius, quam modo enuntiavit, sententiae documento. Verum enim vero alia eloquia Paulina, verbi causa I Coloss. 13 seq. II, 6, 8 ostentant, Paulum graviter consulere in pseudapostolos etiam quasi istiusmodi homines, qui *placitis suis* rectam Iesu deque Iesu doctrinam conarentur obumbrare, et Christianorum oculos praestringere. Praeterea Eichhornius p. 291: „Paulus spricht, als wären die, vor welchen er warnt, gar nicht unter den Christen gewesen; als setzte er nicht voraus, daß sein Brief ihnen unter die Augen kommen würde." Nobis contra videtur: Loquitur apostolus epistola, ac si ii, abs quibus est Colossenses abstracturus, antiepaphraticam seu antipaulinam (sit venia verbis!) tenerent doctrinam, cf. II, 7 al. Dein non patet ex epistola, non supponere Paulum, venturam eam in ma-

nus pseudapostolorum. Sed fac, apostolum hoc non supponere, inde sequitur nondum, haud fuisse pseudapostolos ex numero Christianorum. Poterat scilicet fieri, ut pseudapostoli, quasi Christiani perversi conventibus religiosis, quos haberent fideles Colossenses, in quibusque epistola recitaretur, nulli interessent. Subiicit b. theologus Gottingensis pag. 291: „Er (Paulus scil.) bekämpft sie (i. e. doctores falsos) nicht förmlich, wie sonst die Irrlehrer, die sich zwischen seine Schüler eingedrängt haben" [34]). Paulus epistola, quam tractamus, haereticos modo plane eodem aggreditur, quo aliis, quas revera ad discipulos conscripsit, epistolis: eos videlicet, ad quos dat epistolas et apud quos magistri falsi versantur, Christianos saepe alloquitur ipsos, studetque a falsis magistris amovere; quippe hoc quoque est haereticos iuste oppugnare, cf. II Coloss. 4, 8, 16, 18, 20 cum V Ephes. 6, III Philipp. 2 al. Doctissimi itaque Eichhornii rationes eae non sunt, quibus cogamur, ut in illa, quae ab eo

---

54) Memoratu dignissima ea sunt, quae Dr. Eichhornius pag. 291 facit, verba: „Indessen, denke man auch hiervon, was man will, und halte man auch die den Kolossern gefährlichen überirdischen Heilige für Christen, welche die überspannten Grundsätze ihres frühern Religionswesens in das Christenthum getragen haben, so waren sie wenigstens von den judaisirenden Christen, die Paulus anderwärts in seinen Briefen als Gegner des reinen Christenthums bekämpft, völlig verschieden." Sententiae ei adstipulor, licet non item omnibus argumentis singulis, quibus veram esse ostendere posthac laborat Eichhornius.

fluxit, de pseudapostolis Colossensibus opinione acquiescamus.

Chemnitius examine concilii Tridentini P. IV, loco IV, sect. IV, cap. 3, pag. 167 sq., Goodvinus in Mose et Arone I lib., 12 cap., 25 §, Infantius ac Bellesobrius in préface sur l'épitre de S. Paul aux Colossiens, num. VI, VII[55]), Dav. Michaelis quarta editione libri, qui inscribitur „Einleitung in die göttlichen Schriften des Neuen Bundes," tom. II, §. 186, Zachariae „in der paraphrastischen Erklärung der Briefe Pauli an die Galater, Epheser, Philipper, Kolosser und Thessalonicher," num. 4 isagoges eius libri, Storrius in illa epistolae ad Colossenses interpretatione, quam habes II volumine opusculor. academicor. a theologo hoc Tubingensi confectorum, quique alii Viros hos eruditos sequuti sunt, talem sunt sententiam eloquuti: qui perturbassent ecclesiam Colossensem, eos esse perhibendos Essaeos, per quos Christiana religio, cui secta relicta semet addixerint, erroribus inquinata sit. Viri illi docti in Essaeis deprehendere potuerunt haud pauca, quibus egregie conveniat Essaeis cum decretis, moribus, consuetudinibus istorum, de quibus quaestio est, pseudapostolorum: a) Est apud Iosephum de bell. Iud. lib. II, cap. 8, § 7, eos, qui accessuri sint ad intimam Essaeorum seu Es-

55) Vide Viri utriusque docti „le Nouveau Testament" tom II.

senorum communionem, tremendis se iuramendis adstringere, veluti his: *συντηρήσειν — τάτε τῆς αἱρέσεως αὐτῶν βιβλία, καὶ τὰ τῶν ἀγγέλων*[36] *ὀνόματα*, i. e. asservaturos se, neque cum homine non Essaeo communicaturos libros sectae, quibus vero simile est Essaeorum perscripta placita fuisse, item nomina angelorum[37]). Refert porro Iosephus lib. II de bell. Iud. cap. 8, § 11, Essaeorum opinione animas ex aethere subtilissimo prodeuntes in corpora quasi carceres includi, (superne) detractas illecebra aliqua naturali. Quando autem sint corporeis vinculis solutae, tum utpote liberatas a servitio longo, gaudere ferrique sublimes. „Bonas

---

36) Havercampius, cui debeas operum Iosephi editionem, ait hoc ad verbum: „an scribendum *ἁγνείων* potius? ut ita sese obstringant, profanis non prodituros ritus et appellationes modorum, quibus lustrari et purificari solebant?" At in Flavianorum operum codicibus vox *ἀγγέλων* lectio constans; neque opus est lectione *ἁγνείων*, quum *ἀγγέλων* sat bonum sensum fundat. Vide, quae a me supra dicta.

37) Essaeos cuncta angelorum nomina „als verpersönlichte Eigenschaften Gottes, der Natur und des Menschen" considerasse (quod verisimile putat S. V. Bellermannus in „den geschichtlichen Nachrichten aus dem Alterthume über Essäer und Therapeuten," quas a. 1821 Berolini publicavit, pag. 51), certo demonstrari nequit. Nihil impedit, quominus sumamus, Essaeis angelos esse habitos naturas instructas *τῇ γνώσει ἑαυτῶν*, intelligentes, summi Dei ministros legatosque. Essaei nomina angelorum singulares ad usus, (uti ad curationem aegrotationum in corpore repertarum, quemadmodum Aldrichius in nota ad *τὰ τῶν ἀγγέλων ὀνόματα* suspicari videtur,) forsan adhibuere. Propterea Essaeos puto asservasse secum angelorum nomina.

quidem animas (quomodo est apud Flavium), manere docent Essaei super oceanum vitam, ac locum, qui neque imbribus, neque nivibus, neque ardoribus affligatur, quem potius ex oceano continenter spirans et lenis zephyrus recreet. Malis vero recessum tenebricosum assignant ac frigidum, poenis nunquam cessantibus repletum." Inde clarum est, tenuisse Essaeos aliquam theosophiam, cuius rei a Philone quoque Hebraeo quaepiam iniicitur mentio [38]). Falsos Colossarum magistros philosophia seu theosophia gavisos, vel II Coloss. 8 planum facit. b) Essaeis sabbatum dies fuit sanctissimus. Iosephus lib. II de bell. Iud. cap. 8, § 9: „Diebus, inquit, hebdomadum septimis ne manum

38) Philo libello: quod omnis probus liber; opp. Philon. ed. Colon. Allobrog. p. 678, 679 est auctor, Essaeos logicam philosophiae partem, ceu acquirendae virtuti nil necessariam, captatoribus verborum permittere; physicam autem (qua et metaphysicam Philo complectitur), quia sit sublimior, quam quae a natura humana comprehendi queat, iis mortalibus, qui super rebus caelestibus garriant, relinquere, locis, qui sint de existentia Dei et universi creatione, exceptis; ethicam vero (ait Philo) admodum bene pertractant, praeceptoribus usi legibus patriis, quas fieri non potuit, ut humana natura absque inspiratione divina conciperet. Pauloque post declarat Philo: „τὰ — πλεῖστα διὰ συμβόλων — παρ' αὐτοῖς φιλοσοφεῖται," i. e. plerique philosophiae loci symbolica apud Essaeos lingua traduntur, (ad morem antiquorum philosophorum). — Essaeos morali imprimis philosophiae parti operam navasse, Philo ea re premit, quia hoc in universum agit, ut depingat Essaeos tanquam insignes eius, quam plerumque practicam nuncupant, sapientiae cultores.

adiiciant operi, praeter caeteros Iudaeos cavent; neque enim nutrimenta modo pridie sibi parant, ut ne ignem quidem septimo illo die accendant, verum nec vasculum quoddam movere, nec deiicere alvum sustinent." Aperit Porphyrius libro de abstinentia a cibis carnis, coactos esse Essaeos, uti sabbato ad cantus in honorem Dei et ad quietem. Colossensibus pseudapostolis sabbata magni facta, solemniterque acta esse, nascitur ex II Coloss. 16 suspicio [39]). Nihilo tamen secius infitiandum, qui coetum Colossensem turbarent, hos prius Essaeos fuisse, quam Iesum ut Christum sectari coepissent. Namque a) indoles moresque Essaeorum respi-

---

39) A Plinio hist. natur. lib. V, cap. 17 „Esseni dicuntur (gens) sine nulla femina, omni venere abdicata"; deinde: „gens aterna, — in qua nemo nascitur." Idem retulit cap. XXXVI polyhistoris sui Iulius Solinus, cui Plinium versatum ob oculos esse, crediderim. Iosephus quidem lib. II. de bell. Iud. cap. 8, § 13 nihil diffitetur, alios Essenorum (dicit τάγμα, ordinem eorum quendam) non voluptatis ergo, sed dum liberos consequantur, in matrimonia adsciscere feminas; verum antiquitat. tamen Iud. lib. XVIII, cap. 1, § 5 memoriae prodidit, alios Essenos (quorum numerum super quattuor millia hominum esse vult) uxores non ducere, siquidem existiment, matrimonia locum facere domesticis iurgiis. Auctore Porphyrio contemtum apud Essaeos fuit matrimonium. Quicunque II Coloss. 21 particulam „μὴ ἅψῃ" interpretatur: „noli tangere feminam," ut Hammondus, Storrius, alii fecere, censetque igitur Colossarum pseudapostolos feminas matrimonis sibi non iunxisse, novum habet locum, circa quem pseudapostolis cum Essaeis conveniat. Explanatio particulae, quae nobis praeplaceat, vide infra.

ciantur singulares. „Omnia Deo committere amat Essaeorum doctrina:" [40]) ita Iosephus in antiq. lib. XVIII. „Ihre Anstalt gründet sich nicht auf leibliche Abstammung, sondern auf Tugendeifer und innige Menschenliebe," quomodo ait Philo libro quodam deperdito, apologiam Iudaeorum dico, cuius extat apud Eusebium pars in praeparatione evangelica lib. VIII, cap. 11; quam partem quum inspicere non potuerim, versionem S. V. Bellermanni exhibui; vide libellum eius nota 37 citatum. Essaeos aditum ad virtutem magna ope appetendum duxisse, Iosephus antiq. Iud. lib. XVIII, cap. 1, § 5 memoravit. Qui cupierat Essaeorum in sodalatium cooptari, haec iuramenta dedit, primum se divinitatem veneraturum, dein iustitiam in homines servaturum, nemini nec proprio impulsu, nec e iussu alius damnum illaturum, osurum vero iniuriosos semper, et cum iustis pugnaturum (i. e. opitulaturum iustis): si ipse inceperit imperare, se neque propter potestatem suam superbum unquam fore, neque vestimento, maioreve aliquo ornatu prae sibi subiectis valde conspicuum; veritatem (τὴν ἀλήθειαν) semper caram se habiturum, et

---

40) Philo eo scripto, cui nomen „quod omnis probus liber", pag. 678 ed. Colon. non gravatur docere, Essaeos maxime Dei ministros (θεραπευτὰς Θεοῦ) extitisse. Porphyrius p. 123 der geschichtlichen Nachrichten Bellermanni über Essäer caet.: „Bei der Gewöhnung an Wahrheit und Frömmigkeit giebt es natürlich bei ihnen (Essaeis) viele, welche das Zukünftige voraussehen."

convincere vaniloquos sibi propositum; manus a furto, animamque a lucro impio puram servaturum caet.: sic Iosephus de bello Iud. lib. II, cap. 8, § 8. „Inter Essaeos quidem nullus admodum infans est, immo vero ne puer quidem aut adolescens, quandoquidem eorum certe mores versatiles aeque atque aetas imperfecta innovantur; sed viri iam perfecti, qui inclinant ad senectam, quique nec fluctibus corporis hauriuntur (hoccine eo forsitan sensu est: viri, qui malis, quibus afficiuntur corpora, haud superantur?), nec perturbationibus animi rapiuntur, et vera solaque libertate vere fruuntur: Testis autem eius libertatis vita eorum est;" suppeditat haec Philo sua pro Iudaeis defensione.[41]). Essaeos esse viros, si agendae vitae ratio (τρόπος) spectetur, praestantissimos (βελτίστους), legitur apud Iosephum lib. XVIII antiqq. Iud., cap. 1, § 5. Contra κακοὶ fuere falsi Colossarum magistri. Nempe superbia inflati erant, quamquam sub specie humilitatis II Coloss. 18, iidem fallaci theosophia et sermonibus ad persuadendum idoneis Colossenses Iesu fidem habentes abstrahere ab unice vera doctrina, ac sibi subiicere studebant II, 4, 8; adde, quod alios ob sua placita, quae Iudaicam saperent religionem, neglecta damnare nulli dubitabant II, 16 caet. Quae quum ita sint, parum iuste ageremus, si

41) Vide Euseb. VIII lib. praep. evangel. cap. 11.

pseudapostolos defenderemus fuisse Essaeos. — b) Sedes Essaeorum consideremus! Plinius lib. V histor. natur. cap. 16, 17 consignavit litteris, versari Essaeos ab occidente asphaltitae lacus, sed eius tamen littora fugere usque eum ad locum, quo pestilentes, quas lacus exhalet, aurae pertingant[42]. Cum Plinio bene conspirat Solinus, cap. XXXVI polyhistor. proloquens: „interiora Iudaeae, quae occidente continentur, Esseni tenent." Proposuit Philo libro, „quod omnis probus liber," pag. 678 ed. Colon. Allobrog.: „est vero Palaestina quoque ac Syria virtutis (καλοκαγαθίας) haud expers, quippe quum habitat regionem pars populosae gentis Iudaeorum non exigua. Inter eos nonnulli nominantur Essaei, multitudo, quae quattuor millia mortalium excedit" caet. Elucet ex effatis hisce perspicue, Essaeis pro domiciliis fuisse Iudaeae, ac, si modo Philoni fides in hac re omnis habenda, Syriae regiones. Essaeos eas reliquisse unquam, exteras, speciatim Phrygiam petivisse, in ea fixisse domicilia, antiquorum testimoniorum ope comprobari nequit. Has equidem rationes, quae adversantur ei opinioni, iuxta quam Colossarum pseudapostoli extiterunt Essaei, firmas puto et ad destruendam opinionem habiles. Contra argumenta plura, quae ever-

---

42) Hoc ego modo acceperim concisam vocem Plinii: „ab occidente littora Esseni fugiunt usque qua nocent."

tendae illi a) cl. Iunkero in commentario ad epistolam Colossensibus missam cumulata sunt, ne everti queant ipsa, pertimesco. Contendit exempli causa commentarii pag. 31: „Die Essäer waren nach asketischen, keineswegs nach philosophischen Grundsätzen gebildet; sie haßten alle speculative Philosophie. — In dem paulinischen Briefe (sc. ad Coloss.) werden aber an jenen Irrlehrern sehr deutlich gewisse — mehr der Speculation und einem subtileren Idealismus — sich anfügende Dogmen vorgebracht" rel. Essaeis quandam theosophiam, ut barbare loquar, speculativam in manibus fuisse, supra vidimus; Essaeosque ex ea quodammodo efformatos, a verisimilitudine non abhorret. Quod reliquum est, quisquis II Coloss. 16, 20, 21, 22 inspexerit curatius, perversos doctores Colossarum non negabit etiam ad decreta ascetica formatos. b) Commentarii, quem modo citavi, pag. 26 docet Vir eruditus: „Die Essäer bewohnten keine Städte (folglich auch nicht Ephesus oder Colossä, welches auch schon Herodot VII, 30 eine große und prächtige Stadt nennt.") Philo aliquando quidem fatetur, Essaeos in vicis (κωμηδὸν) habitare, devitantes oppida; cf. quod omnis probus liber, pag. 678 opp. Philonis [43]). At idem apologia

43) Illud demonstraturus, provocat Dr. Iunkerus etiam ad Philon. de vita contemplativa pag. 690 ed. Colon. Allobrog., qua legitur: „extra moenia mansiones sibi parant in hortis vel agris solitariis, petentes solitudinem, non ob crudele aliquod ac nimis auctum mortalium odium, sed cum iis, qui a moribus dissimiles sui sunt, cauturi commixtiones, quas

Iudaeorum, apud Euseb. lib. VIII, cap. 11 praep. evang.: „sie (dicit Essaeos) bewohnen viele Städte Judäas und viele Dörfer und große menschenreiche Gemeinheiten." [44]) Accedit, ut Iosephus lib. II de bell. Iud. cap. 8, § 4 hanc mittat vocem: „illi (Essaei) non unam habent urbem, sed *in quavis* (ἐν ἑκάστῃ sc. πόλει) habitant multi" [45]). (Idem, videlicet ex Iosepho, Porphyrius aperit

---

tenent inutiles esse et perniciosas." At vero locus is huc non trahendus, quippe quo non de Essaeis, verum de Therapeutis verba fiant. Neque vero ego persuadere mihi valeo, Therapeutas Aegyptios, qui βίον τινὰ solummodo θεωρητικὸν persequerentur, alios non fuisse, nisi in Palaestina repertos Essaeos, abs quibus vita illa cum practica tantopere coniungeretur; cf. opusculum meum: Einige Bemerkungen zu den von dem Herrn Professor Dr. Ullmann und mir aufgestellten Ansichten über den Ursprung und den Charakter der Hypsistarier, pag. 65 not. — Excitat doctus Iunkerus commentarii pag. 26 ex Euseb. VIII, 10 hunc quoque locum: „in civitatibus nòn habitant (sc. Essaei) existimantes, ut aeris contagionem corporibus, sic conversationem vulgi anima („animae" scribendum) nocere." Egomet locum neque VIII, 10 praep. evang., neque VIII hist. eccl. 10 reperi.

44) Versio S. V. Bellermanni est in geschichtliche Nachrichten caet. pag. 109.

45) Cl. Iunkerus commentarii pag. 27 Philonem videtur cum Iosepho sic conciliare: plerosque Essaeos ob agriculturam in vicis habitasse, *nonnullos* vero, quo artes opificiaque exercere possent, proximis in urbibus collocasse domicilia, omnes autem sectae socios certis temporibus in vico constituto agroque convenisse, deliberaturos de rebus suis caet. (eadem prope observo Bruckerum statuisse, in historia critica philosophiae, tom. II, pag. 767, not.). Quodsin cl. Iunkerus Philonem atque Iosephum ita conciliat, patet, eum illud, quod ex Essaeorum domiciliis hausit contraque Essenicam pseudapostolorum Colossensium indolem proposuit, argumentum tollere.

libro de abstinentia ciborum, cf. S. V. Bellermanni geschichtliche Nachrichten aus dem Alterthum über Essäer caet. pag. 120.) Pauloque post: „in qualibet urbe, quam incolit Essenorum ordo, curator imprimis hospitum (τῶν ξένων; de Essaeis cogitandum) constitutus, qui vestimenta, quaeque praeterea necessaria sunt, ministret." Rebus sic se habentibus iudicandum, habitasse Essaeos partim in vicis, partim in oppidis [46]). Omnino iis in locis, qui attingunt Essaeos, fides praecipue Iosephi dictis praebenda. Quin sicubi discrepant Iosephus ac Philo, maior illi quam huic adhibenda fides, id quod operam dedi, ut vernaculo meo super Hypsistariis libello pag. 61, 62 probarem.

Heinrichsius pag. 161 prolegomenor. commentarii sui in epistolam ad Colossenses: „Quid, inquit — impedit assumere, pluribus eam (id est ecclesiam Colossensem) hostibus fuisse circumdatam, et fluctuasse aliis hinc, aliis illinc pellicientibus. Fuerint ergo Esseni, qui Christianos exagitabant, non negamus; sed adfuere et alii magistri Iudaizantes omnino, qui caerimoniarum rituumque sanctitatem retinendam esse persuadere conabantur; fuere et Ioannis Bapti-

---

46) „Sie (Essaei) haben auch gewiß in Städten gewohnt," ait Davides Michaelis in Einleitung in die göttlichen Schriften des neuen Bundes tom. II, pag. 1249, edit. IV. Cf. S. V. Neandri allgemeine Geschichte der christlichen Religion, tom. I, part. 1, pag. 56, 57.

stae alumni, maxime Apollo illius (Apollonium, Christianum doctorem ex Act. App. et epistola ad Corinth. priore satis notum significat Heinrichsius) imitatores aemulatoresque, et omnino malevolum hominum genus ex ethnicis quoque, qui ad flagitia compellere Christianos et turbare tranquillos animos satagebant, perinde ac in ecclesia Ephesina et vicinis aliis." Ante omnia monendum: gravis haud deprehenditur ratio, quare sumatur, complures, a semetipsis adeo diversos pseudapostolos unam eandemque ecclesiam Colossensem perturbasse. Quid? Si ita diversi ἑτεροδιδάσκαλοι essent Colossis versati, inter ipsos opinor exarsissent dissidia, ipsi invicem sese, ut assolet, aggressi essent [47]); de quo ex epistola ad Colossenses constat nihil. Rectius „in una tantummodo secta quaeruntur adversarii, quibuscum conflictandum fuit ecclesiae." Sed contemplemur singula celeberrimi Heinrichsii eloquia! Essenos exagitasse Christianos Colossenses, per ea, quae in superioribus notata a me sunt, statui non potest. Si Heinrichsius in pseudodoctoribus Colossensibus reponit istiusmodi Iudaizantes magistros, adversus quos tanquam adulteratores genuinae religionis Iesu Christi, faciunt Paulinae epistolae

47) Inter Petrinam, Paulinam, Apolloniam factiones Corinthiacas, item eos Corinthios, qui solius Christi discipuli vellent esse, controversias natas, canonica priore Pauli ad Corinthios epistola docemur.

plures (et hoc quidem committere videtur Vir doctissimus aeque atque Schmidtius in Clavis über das Neue Testament, tom. I, pag. 111, aliique), ea re fallitur, quia pseudodoctores Colossenses super rebus humanum adhuc captum fugientibus, veluti de caelestibus potestatibus, earundemque classibus meditati esse, immo angelis singularem exhibuisse cultum a Paulo II Coloss. 18 perhibentur; tale quid in Iudaizantes istos Christianos non cadit, quibus epistolae plures Paulinae oppositae sunt. Iam Heinrichsii suspicio, alumnos Ioannis et Apollo asseclas praecipuos fuisse Colossis genuini Christianismi novatores adulteratoresque [48]), his innititur suppositionibus: „Apollonium, qui non Christi, sed Iohannis Baptistae disciplinae innutritus videretur [49]), ut Corinthi sic Ephesi in ipso Christianismo novae cuiusdam sectae auctorem et conditorem extitisse, et inanibus quidem verborum lenociniis atque inutili πιθανολογίᾳ; Apollonii famam per finitimas ecclesias Colossas usque permanasse, multosque ex discipulis Iohannis aliisque [50]) excitasse, ut imitarentur exemplum hominis maiore fama incliti, ut eadem πιθανολογίᾳ, φιλοσο-
φίᾳ

48) Vide pag. 160 prolegomenorum modo allatorum.

49) Heinrichsius vult pag. 159 prolegomenor., Apollonium *vehementissimo studio* Ioannem Baptistam sequutum. Quod unde sciat eruditus Vir, nescire me confiteor.

50) Hoc „aliisque", ad quosnam certo trahendum sit, parum patet.

φίᾳ καὶ κενῇ ἀπάτῃ aucuparentur audientium gratiam (Coloss. 2, 4, 8 caet.)." Et pag. 158 l. c. Heinrichsius: „Quid autem miramur, serpsisse istam errorum (sc. qui in discipulis Ioannis Baptistae atque etiam Apollonio essent) contagionem [51]) et in finitimos (sc. Epheso) tractus, ecclesiasque in caeteris urbibus Ephesinae tanquam matris exemplum sequutas, easdem doctrinas inanes et frivolas esse amplexas." Equidem suppositiones eas Heinrichsii non possum non dicere arbitrarias, fulciendaeque Heinrichsii de Colossensibus pseudapostolis opinioni ab ipso *excogitatas:* veluti „Apollonium ipsum Corinthi novam sectam condidisse," ex I Corinth. cap. 1, 12; cap. 3; 4, 5, 6, 22 (quibus locis illud comprobaturus est Heinrichsius) non manifestum est; illud qui ex his locis est effecturus, eidem inde est efficiendum, etiam Paulum, et Petrum, et Christum ipsum Corinthi auctores sectarum novarum evasisse. Annon potius fieri potuit bene admodum, ut aliquot Corinthii, in quibus aliqua facultas philosophandi esset, philosophico ac rhetorico modo, quo promulgaret Apollonius doctrinam vere evangelicam

---

51) Heinrichsius si prolegom. p. 161 ait: „Iohannis Baptistae alumni, qui Ephesi *permulti* aderant" caet., falso, dum id stabiliturus est, excitat XIX Act. 1. Nonnulli (τινες) tantum discipuli Ioannis XIX Act. 1. Ephesi sistuntur, et ii a Paulo: „ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ", Christiani igitur facti sunt.

seu Paulinam, nimium quantum oblectarentur, *ipsique* constituerent factionem superbam? Rem ita se habere, haec indicio sunt, quod Paulus epistola ad Corinthios priore non Apollonium, verum sectatores eius aggreditur, quod non Apollonio iniungit modestiam, sed quod vult, ut et Corinthii discant in se et Apollonio „*τὸ μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν, ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦται κατὰ τοῦ ἑτέρου*" I Corinth. cap. 4, v. 6, ad postremum, quod Apollonius Christianam Pauli institutionem Corinthi continuasse, item pariter ac Paulus Corinthios ad fidem Iesu Messiae tribuendam adduxisse et in doctrina Christiana confirmasse, I Corinth. cap. 3 fertur. Quodsi Apollonius talem se concinnavit Corinthi, num licet contendere, *Apollonium ipsum* exstitisse Corinthi novae quasi sectae auctorem conditoremque? [52]) — Si porro Ioannis Baptistae alumni Christianos Colossenses exagitassent, in suasque partes, et ad suam doctrinam pertrahere conati essent, dubium non est, quin Paulus in epistola Colossensibus data contra alumnos istos docuisset, Baptistam Ioannem inferiorem Iesu Messia esse, ac frequentem baptismum nec summi faciendum, nec per se sanctitatem beatitatemque procurare: quae quidem ab illius Ioannis asseclis, qui iidem Zabii et Hemerobapti-

---

52) Pseudapostoli Colossenses, si imitatores aemulatoresque Apollonii fuissent, doctrinam Paulinam quamquam illam philosophica ratione et rhetorica praedicassent.

stae [53]) vocati sunt, defendebantur. Quod attinet denique ad malevolum istud hominum genus ex ethnicis, qui ad flagitia compellere Christianos animosque tranquillos turbare sategerint, tale etiam in aliis super pseudapostolis Colossarum ὑποθέσεσι potest poni, quum praesertim Colossae ipsae in paganarum urbium numero essent. Heinrichsio autem, quatenus Essenos, Christianos simpliciter Iudaizantes, asseclas Ioannis Baptistae, imitatores Apollonii Christianis in pseudapostolis deprehendit, assentiri non placet.

Grotius commentario in epistolam ad Colossenses observat ad II, 4: „iam tum erant, qui in Phrygia semina iaciebant haereseos, quae dicta κατὰ Φρύγας. Miscebant alii Iudaica, alii Pythagorica tum dogmata tum instituta Christianae religioni" caet. At vero nihil invenio in dogmatis et institutis pseudapostolorum, quod solis Pythagoraeis neque aliis quoque sectis philosophicis proprium fuerit. Immo desidero quaepiam in doctoribus falsis, circa quae et posterioris aevi Pythagoraei praeprimis occupati

53) Videatur Hegesippus in IV lib. hist. eccles. Euseb. cap. 22. In Clementinis nuncupatur Ioannes Hemerobaptista. Moshemium credere iuvit (vide Viri commentar. de reb. Christianor. ante Constantinum M., cap. II, § 9, not. 3), veterum Hemerobaptistarum propaginem Christianos S. Ioannis, qui etiamnum supersint, esse. Nec temeraria est opinio. — Ioannis sectatores dialogo cum Tryphone Iudaeo nominantur baptistae.

sunt, ut doctrinam de numeris, cf. Tennemanni Geschichte der Philosophie tom. V. pag. 208 sq. Quamobrem pseudapostolos pro Pythagoraeis habere non ausim. De caetero fateor, reperiri quaedam apud pseudapostolos Colossenses, quorum Montanistae participes fuere, ut ascetices studium, fanaticam indolem; at rursus illi nominibus pluribus dissimiles Montanistarum sunt, quoad verbi causa non ita honorifice, ut Montanistae, de Iesu Christo sensere, quoad angelis ministeria praestitere: id quod Montanistis haud commissum.

Apud Wolfium in curis philolog. et critic. tom. IV, pag. 308 est legendum: „Platonicos potissimum peti (sc. epistola ad Colossenses), quorum philosophia μετεωρίζουσα plurimos tunc temporis admiratores habuerit, Ruarius existimat centuria epistol. I, ep. C. pag. 312, quod ipsum copiosius adserere conatus est Rev. Walchius (Ioannem Georgium Walchium, eiusque observationes philologicas, part. I designat Wolfius) et M. Christophorus Wolle in regulis XXX ad illustrationem Novi Testamenti ex scriptoribus profanis, pag. 39 sq." Alexander quoque Morus pseudapostolos arbitratur Platonicis opinionibus indulsisse. Si pseudapostoli nonnisi Platonici existimantur, hoc obvertendum, quod pseudapostoli, uti vidimus, etiam (externa certe) professione Christianae religionis fuere. Sin contenditur, doctores Colossa-

rum falsos *Platonicos eosdemque Christianos* extitisse [54]), obiicere licet: si pseudapostoli fuissent tales, purioribus etiam pectoribus moribusque praediti fuissent [55]). In universum Plato non solus is est, ex quo potuerint magistri falsi placita sua haurire; infra significabuntur plura, quae pseudapostolis pro decretorum suorum fontibus fuisse, a vero propius est.

Super origine pseudapostolorum Colossensium et indole ea mihi maximopere arridet ὑπόθεσις: temporibus vel natum Dominum praecedentibus per multas terras orientales, illas quoque, quae Euxino Ponto marique terminantur mediterraneo, offenderes Iudaeos, qui prorsus Mosaicae legi addicti cultu utebantur aspero, qui tamen iidem aliqua scita antiquorum *orientalium* de religione systematum, ut Persici [56]),

---

54) Calmeti praefatione ad litteras, quas iam tractamus, haec obvia: „les faux apôtres, *convertis* du Iudaisme, qui couroient par toutes les églises des gentils, pour y faire des prosélytes, vinrent à Colosses et prêchérent la necessité de la circoncision; mêlant la philosophie Platonicienne avec le Iudaisme, ils inspirèrent à ces fidèles encore simples et nouvellement convertis un culte superstitieux des anges et les sentiments d'une fausse humilité, en leur faisant entendre, que Dieu étant infiniment audessus de nous, il fallait addresser nos prieres — aux anges."

55) Marsilius Ficinus, vir ille celeberrimus, Christianus fuit Platonicus, at vitae integer, scelerisque purus.

56) „Daß um die Zeit von Christi Geburt und schon früher unter den orientalischen Völkern eine Art philosophisch-theologischer Kenntnisse im Umlaufe war, ist um so weniger zu bezweifeln, da Clem. Alex. in seinen Strom. viel darüber abhandelt." Habes verba cl. Iunkeri ex commentar. in epist. ad Coloss.

Iudaeis cum placitis miscuerant, itaque scientiam divinarum sublimiumque rerum philosophicam (*γνῶσιν*) et mysticam et valde speciosam sibimet conflaverant; non ita multum differebant Therapeutis, haud procul ab Alexandria agentibus, quos Hebraeus Philo libro *περὶ τοῦ βίου θεωρητικοῦ* depinxit [57]). Fuit in Iudaeis philosophicis illis (theosophis) cupido, mundum eum, quem intellectualem vocant (*κόσμον νοητὸν*), summum numen, genios, qui ab eo procreati sunt caelestes, et magnalia alia, cognoscendi altius; deque iis locis ut decreta, etiam e philosophia cabbalistica Iudaica desumpta tenuerint, fieri potuit.

---

pag. 56 arcessita. In populis illis orientalibus quadam collocat nota Chaldaeos, Persas, Arabes, alios.

57) Confecerim ego horum nonnulla ex voce Philoni in libro de vita contemplativa missa pag. 892, opp. Philon. ed. Francof.: „*Πολλαχοῦ μὲν οὖν τῆς οἰκουμένης ἐστὶ τὸ γένος. ἔδει γαρ ἀγαθοῦ τελείου μετασχεῖν Ἑλλάδα καὶ τὴν βάρβαρον. Πλεονάζει δὲ ἐν Αἰγύπτῳ καθ' ἕκαστον τῶν ἐπικαλουμένων νομῶν, καὶ μάλιστα περὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν*" *κ. τ. λ.* Verba facit Philo de Therapeutis, et dicturus est, in permultis tractibus orbis terrarum (*τὸ πολλαχοῦ* premendum non videtur) tale mortalium genus, quale sint Therapeutae (et Therapeutae quidem Iudaei fuerunt, mysticismo, et theosophiae, et vitae durae parcaeque dediti); nempe necesse fuisse, Graeci ac barbari boni eius perfecti (quod nimirum in illo genere mortalium constaret), participes redderentur; hoc autem genus in Aegypto quamlibet per praefecturam frequens esse, maxime circa Alexandriam. In sequentibus pergit Philo, Aegyptium hoc genus i. e. ipsos Therapeutas tractare. — Cfr. hic etiam is, quem nota 58 citavi, liber Kleukeri, qui quidem omnino in loco de pseudapostolis *aliqua* vidit recta, mihique probata. Nullo autem modo in *omnibus*, quae proposuit Kleukerus de pseudapostolis, mihi cum eo convenit.

Saltem in systematis saeculi post natum Christum secundi gnosticis, quae cohaerent cum decretis Iudaeorum illorum speculativorum seu theosophorum, animadversa esse δόγματα cabbalam redolentia, negari non debet. Caeterum ut particulae quaepiam antiquissimae revelationis divinae, ita humana quoque, fanatica, falsa immixta erant theosophorum, quos dixi, Iudaicorum systemati, ut σοφία potius τοῦ αἰῶνος τούτου, quam germana σοφία τοῦ θεοῦ mereret appellari. Posteaquam genuina σοφία τοῦ θεοῦ i. e. religio Christiana delata caelitus erat, extraque Palaestinae fines ab apostolis et discipulis eorum non citra divinam animorum permotionem nuntiari coeperat, theosophi, qui minori in Asia versabantur, amplexi quidem sunt Iesu religionem, verum, quoniam simplicior, ieiunior, imperfectior deprehenderetur theosophis, religionem eo praestare studuere pleniorem perfectioremque, quod tanquam Christiani suis ipsorum opinionibus, Iesu religioni non omnino congruis temperavere (quo facto σοφίαν τῶν τελείων consequuti sibi sine dubio visi), pristina vivendi retenta ratione. Iam ex epistola nostra prolixius probandum, qui in ovile Domini Colossense subrepserint, et conati sint ἀποσπᾶν τοὺς μαθητὰς ὀπίσω αὐτῶν (XX Act. 30), eos extitisse istiusmodi *theosophos* [58]) *φαντασίᾳ suae*

58) Beatus Kleukerus opere: Ausführliche Untersuchung der Gründe für die Aechtheit und Glaubwürdigkeit der schriftlichen

obnoxios, μετεωριζομένους, mysticos, Iudaizantes in ipsa religione Christiana, degendaeque vitae durae intentos, quos supra paucis descripsimus: a) II Coloss. 18 tribuitur pseudapostolis *τὸ ἐμβατεύειν, ἃ μὴ ἑωράκασι* [59]), id est magistri in ea sese audacius ingerebant, ea acumine mentis tentabant investigare, quae acie mentis nunquam videre seu cognovere, super

---

Urkunden des Christenthums tom. III, pag. 155: „Jene Leute (doctores Colossarum haeretici) werden von Einigen für jüdische Platoniker, von Andern für Essäer, und wieder von Andern für Kabbalisten gehalten. Auf diese Namen kommt hier wenig oder nichts, alles aber darauf an, daß man ihre Lehren selbst und deren Zweck kennt." Bene dicit theologus egregius. Ait et Cicero V. tusc. disput. cap. 2. rem opinor spectari oportere, non verba. Nihilo vero minus nomen „theosophi" ad pseudapostolos designandos mihi adeo accommodatum visum, ut adhibendum mihi esse crediderim. Etiam Heinrichsius pseudapostolos ad I Coloss. 23 vocat *theosophicos* — magistros. Cf. et S. V. Tholuckii ad VII Rom. 14 notam. Theosophia quomodo differat a theologia, clarissimus Bretschneiderus exposuit p. 23, 24 seiner systematischen Entwickelung aller in der Dogmatik vorkommenden Begriffe caet. ed. II.

59) *Ἐμβατεύειν* ab auctoribus Alexandrinae versionis XIX Ios. 49 usurpatur de hominibus terram aliquam ingredientibus; omnino *ἐμβατεύειν* idem, quod *ἐμβαίνειν, ἐπιβαίνειν*. Dein adhibetur vox ad designandos eos, qui in spirituale quid ingrediuntur, hoc *ἐξετάζουσι*: Phavorinus *ἐμβατεῦσαι* vocabulo *ἐξερευνῆσαι* explanat; cf. Krebsii observationes in Novum Testamentum e Flavio Iosepho, Loesneri observationes ad Novum Testamentum e Philone Alexandrino, Bosii exercitationes philologicas, easque omnes ad II Coloss. 18. Ad *ὁρᾶν* quod attinet, certe Philoni in vocabulo *συνορᾶν* hic illic est vox *ὁρᾶν* intelligere. Exempli causa scripto de somniis mentio movetur hominum „*τὸ μέγεθος τῆς ἀρετῆς τοῦ τὰ πάντα μεγάλου θεοῦ μὴ συνεωρακότων μηδὲ συνορώντων.*"

quibus nulla iis contigit divini spiritus ἀποκάλυψις, quibus denique humana rerum noscendarum vis exceditur, veluti summi Dei natura, quaeque alia invisibilem mundum ac spiritualem attingunt. Adde, quod apparet ex II Coloss. 8, habuisse pseudapostolos φιλοσοφίαν καὶ κενὴν ἀπάτην [60]), i. e. subtilem et speculativam (si barbare loqui licet) rerum divinarum (τῶν θείων) scientiam (theosophiam), quae speciem teneret, ac si multis ac divinis veritatibus esset referta, cognitionemque earum mortalibus promitteret, sed earum tamen ipsarum inanis esset, credulosque mortales promissis suis turpiter falleret: item (φιλοσοφίαν) κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, h. e., eiusmodi theosophiam, quae cabbalae [61]), doctrinae de mundis invisibili ac visibili, de rebus futuris et praesentibus caet. occultae atque inter Pharisaeos potissimum propagatae, accommodata esset, cabbala niteretur, aut quae omnino decretis humano ingenio excogitatis et ab hominibus traditis, veluti placitis orientalium gentium ad religionem pertinentibus, esset consentanea: postremo (φιλοσοφίαν)

60) Exstat διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης II Coloss. 8, idque idem est cum διὰ τῆς φιλοσοφίας, ἥ ἐστι κενὴ ἀπάτη. Habes ἓν διὰ δυοῖν.

61) De cabbala cf. Bruckeri historiam criticam philosophiae, item cl. Iostii Geschichte der Israeliten seit der Zeit der Maccabäer bis auf unsere Tage, nach den Quellen bearbeitet, tom. III, pag. 69 sqq.

κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, καὶ οὐ κατὰ Χριστόν, i. e. theosophiam, quae rudimenta religionis sive imperfectam istam religionem, qua homines Iudaei gauderent, sequeretur, theosophiam igitur Iudaizantem neque prorsus Christianam illam [62]). Non vero praetermittendum, quod secundum II Coloss. 18 inventa apud pseudapostolos est *θρησκεία τῶν ἀγγέλων*, cultus religiosus idemque externus, quo pseudapostoli spiritus caelestes seu angelos prosequuti sunt [63]), et ob quem supponi debet, in capitibus pseudapostolorum speculationes mirificas etiam de angelis, deque eorum relationibus et dignitate vi-

---

62) *Στοιχεῖα* proprie denotat mundi physici (*κοσμικὰ*) elementa, ut aerem; deinde scientiae cuiusvis et artis rudimenta. Vox *κόσμος* tum gentiles homines innuit, tum Iudaeos. Qui in superioribus propositus a me est particulae *στοιχεῖα τοῦ κόσμου* sensus, eo defendi potest, quod particula hoc ipso sensu in Novo Testamento saepius, ut IV Galat. 5, obvia fit.

63) *Θρησκεία τῶν ἀγγέλων* ita plane est „cultus angelis exhibitus", quemadmodum *θρησκεία τοῦ θεοῦ* „cultus Deo adhibitus," apud Iosephum sexcenties. Locos Flavii, merito hic respiciendos, congessit ad II Coloss. 18 permultos Krebsius, observationibus modo laudatis. Contra Schoettgenius horis Hebraicis et Talmudicis in universum Novum Testamentum pag. 818, Wolfius curis philolog. et critic. tom. IV, pag. 527, Krebsius, cl. Iunkerus ad II Coloss. 18, et qui alii sunt, phrasin *θρησκείαν τῶν ἀγγέλων* intelligunt talem cultum, qualem angeli boni Deo praestant, habitum (humilitatem, puritatem animi), quali angeli ornati esse solent. Potest hoc pacto enarrari particula; at praeplacet interpretatio prior, quae nescio an minus coacta et quaesita sit.

guisse [64]). Iis, quae proposui, cunctis docemur, *Colossarum doctores falsos* fuisse *theosophia quapiam inprimis Iudaea et ea cum Christianismo confusa, quamquam ab eodem abhorrente instructos.* Et haec quidem τῶν τελείων σοφία haud dubie opposita a pseudapostolis est τῇ πίστει τοῦ ὄχλου ἀφιλοσόφου, τῶν πολλῶν, quae saltem ratio fuit theosophiae saeculi secundi Christianae gnosticae. b) Potest ex II Coloss. 11 coniici, pseudapostolos Colossensibus corporalis (τῆς ἐν σαρκὶ) circumcisionis, qua pseudapostoli videlicet ipsi affecti essent, quasi iustae ac necessariae rei suasores extitisse, utpote qua accepta gratiam Dei et beatitatem sempiternam certo sibi promererent [65]). Videntur porro iuxta II Coloss. 21, 22 magistri falsi istiusmodi pronuntiasse praecepta, a Colossensibus iis Chri-

---

64) Doctores falsi qua de causa angelos venerati sint, exquiretur *secundo excursu*, omni huic commentationi subiuncto.

65) Nempe declarat apostolus lectoribus epistolae Colossensibus II Coloss. 11: „per Christum vos circumcisi estis circumcisione non manibus, neque in corpore peracta, sed πνευματικῇ (in καρδίᾳ), i. e. per Christum praestati vos estis a peccatis integri, sancti, quum nimirum corpus, quatenus vitiositati obsecundaret, deponeretis, quum circumcisionem internam, quae a spiritu Christi perficitur, nanciscereMini." Profecto ex hoc effato Paulino effici poterat a Colossensibus, „daß nach dieser (sc. circumcisioni spirituali) das Ablegen des kleinen Häutchens der Vorhaut nicht mehr Pflicht des Christen seyn möchte." Verba ea sunt Eichhornii perillustris, cf. Viri b. Einleitung in das Neue Testament, tom. III, part. I, pag. 292.

stianis, qui magistris istis submiserant sese, repetita: „*Μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεισῃ, μηδὲ θίγῃς· Ἅ ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει* [66]), i. e. omnes cibos (per legem Mosaicam illicitos) noli edere, noli gustare, noli manu tangere, quippe qui cuncti, si utaris (i. e. si comedantur tibi et attingantur), vergant in tuam perniciem, tibi noceant, te polluant." Iuxta II Coloss. 16 damnabant pseudapostoli eos Colossenses, qui esculentis potulentisque, quae quasi immunda Iudaeis interdixerat Levitica lex, aliquando usi erant, quique anniversarios dies festos Iudaeos, ut pentecosten, novilunia initiis mensium agenda, sabbataque (dies quarumlibet hebdomadum septimos) non observaverant [67]). In II Coloss. 23 est

66) Kypkius observationibus sacris in Novi Foederis libros ad II Coloss. 21 notat, Homerum, Diogenem Laertium, Porphyrium adhibuisse vocabulum *ἅπτεσθαι* comedendi sensu; videsis et Loesnerum ad h. l. *Ἀποχράομαι* scriptoribus classicis interdum est pro *χράομαι* positum, quod ostentat Kypkius observationibus, quas dixi, sacris ad II Coloss. 22. Hinc minus offendit, quod *ἀπόχρησις* apud Paulum idem significat, quod *χρῆσις*: praesertim quum *ἀπόχρησις* proprie sit consumtio alicuius rei, usu ipso producta. — Storrius vol. II opusculorum academicorum pag. 167, 168 vult ad voc. *γεύσῃ* vocabula *βρῶσιν καὶ πόσιν* significantia intelligere, ad *ἅπτεσθαι* vocem *γυναῖκος*, denique ad *θίγειν* eiusmodi rerum nomina, quas per leges Mosaicas aut per Essenorum propriam *παράδοσιν* attingere nemini licebat, quin pollueretur. At id artificiosius est agere.

67) De loci II Coloss. 16 explanatione, vox *κρίνειν*, quam ibi legas, est ferre iudicium, dein severius, tristius iudicium ferre: hinc eodem est cum *κατακρίνειν* significatu, ut XIV

pseudapostolis *ἐθελοθρησκεία* [68]) assignata, i. e. eiusmodi cultus Dei, quem suo arbitratu susceperant perversi magistri, qui ipsis, quatenus Christiani erant, praescriptus non erat a numine supremo. Pertinuere eum ad cultum certorum rituum observatio, ieiunia immodica, in universum ista *ἀφειδία σώματος*, corporis vexatio, quomodo ait Ambrosiaster, in qua corpus rationibus divina voluntate illicitis non curaretur, non foveretur. Contemplantibus nobis ea, quae hactenus dicta sunt, nihil restabit dubitationis, quin *falsi Colossarum magistri praecepta Mosaicae legis, praecipue ascetica et Colossensibus inculcarint, et ipsi religiose servarint* [69]): nisi quod Paulus II Coloss. 23 non gravatur eloqui, praecepta istorum hominum doctrinasque apparentiam (*λόγον*) quidem prae se ferre sublimioris cuiusdam sapientiae [70]), verum *οὐκ ἐν τιμῇ τινι* (*εἶναι*), nullo in se pretio, Deo iudice esse,

---

Rom. 5, 4, 15 al. Formula *ἐν μέρει τινὸς* est respectu alicuius rei habito, propter aliquid; sic apud Philonem: „*ἐν μέρει χάριτος καὶ δωρεᾶς ἔλαβον*", vide Loesneri e Philone in Nov. Test. observationes ad II Coloss. 16.

68) Non aliud sibi vult vocula Epiphanii *ἐθελοπηρισσοθρησκεία*.

69) Pseudapostoli, dum *ἄσκησιν* urserunt, doctrinae de libertate Christiana Paulinae sunt adversati.

70) Apud Kypkium lib. cit. ad II, 25 duo loci ex Demosthene Polybioque citati sunt, quibus *λόγος* est species. Vocabuli *λόγος* sive *πρόφασις* antitheton est *ἀλήθεια*, *δύναμις*, quod acute vidit Chrysostomus.

ac facere πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκὸς, ad saginam carnis, i. e. praecepta ascetica illa exsatiare pravam superbamque animi intentionem, quoad videlicet, dum rite serventur a pseudapostolis, multam iis admirationem hominum reverentiamque concilient [71]). Quam *malis moribus* pseudapostoli Colossenses fuerint, ibi relatum est, ubi quaestionem eam, num Esseni nobis habendi sint, pertractavimus. Hoc itaque extra aleam dubitationis omnem positum esse debet, Colossenses pseudapostolos ex Iudaeis quidem ad Messiam Iesum conversos fuisse, sed eosdem tamen extitisse homines, qui aliqua cum theosophia asceticen eum scilicet in finem copularent, ut animus humanus removeretur a contrectatione materiae, ut vinculis singulatim corporis, quoad eius fieri posset, solveretur, et hoc modo ad intelligenda caelestia, praeque caeteris Deum comprehendendum evaderet aptissimus. Haec utique alii philosophi multi priorum post Christum natum saeculorum sequuti sunt, ἄσκησιν colentes.

Hic opportune forsitan disquiretur a nobis, an pseudapostoli, de quibus sermo fit, *gnostici* fuerint, quod voluere Hammondus [72]), Salomon

71) Vox σὰρξ in Novo Instrumento pluries significat mentem haud circumcisam (si biblice loqui licet), haud correctam.

72) Cf. Hammondi Novum Testamentum, latine editum a Clerico tom. II. Annotationibus ad II Coloss. 8 Hammon-

van Tilius [73]), Moshemius, Hoffmannus, alii. Potest, ni fallor, duplex gnosticorum classis constitui: una classis eorum est gnosticorum, in quibus vestigia duntaxat gnosticismi seu singulas ideas gnosticas, easque aliis cum ideis mistas deprehenderes, quamvis ipsi nomen gnosticorum nondum forsan sortiti essent. Tales vel apostolico aevo exortos [74]), firmatur nonnullis apostoli Pauli epistolis, ut illis, quae ad Timotheum ac Titum datae sunt. Qui ecclesiam potissimum Ephesinam, cuius rector Timotheus a Paulo creatus erat, turbabant, professi sunt *γνῶσιν*, quam vocat Paulus *ψευδώνυμον*, i. e. altiorem quandam, speculativam, subtilem scientiam (scilicet *σοφίαν τοῦ θεοῦ*,) quae falso diceretur scientia, quae falsa esset scientia [75]). Hac theosophia continebantur, ex

---

dus aperte dicit, gnosticorum theologiam per totum secundum caput epistolae notari.

73) Tilius commentarii, quem de Heideggeri enchiridio biblico confecit, pag. 624, 632.

74) Nomen *γνωστικὸς* de haereticis primi saeculi Christianis, qui sublimiore Dei, omninoque divinarum rerum cognitione (*γνῶσις*) gloriarentur, ab ecclesiasticis scriptoribus primi saeculi usurpatum esse, exemplis nequit evinci plane idoneis. Ratio est alia, quum Simon Magus ab Irenaeo, qui secundo floruit saeculo, gnosticus declaratur.

75) De voce *ψευδώνυμος* inspiciatur Loesnerus lib. cit. ad I Timoth. 6, 20. Et locutione *γνῶσις ψευδώνυμος*, quae est I Timoth. 6, 20, probe uti possis ad refellendum aliquod dictum Dr. Iunkeri, commentario in epist. ad Coloss. p. 55 legendum: „Von denjenigen, welche nach ihrer Imagination

eademque ab Ephesinis *ἑτεροδιδασκάλοις* proferebantur *ἀντιθέσεις*, obiectiones (*ἀντιλογίαι*) adversus veram et apostolicam doctrinam Christianam, vide I Timoth. 6, 20. Accedit, quod Ephesinis magistris falsis I Timoth. 1, 4 videntur *μῦθοι* attribui, quos paganorum apostolus I Timoth. 4, 7 *βεβήλους καὶ γραώδεις* nuncupat. Eosdem I Tit. 14 *Ἰουδαικοὺς* appellari, verisimile est. Assignat ergo pseudapostolis apostolus genuinus fabulas [76]), i. e. vanas speculationes aut doctrinas Iudaeochristianas, profanas (quale illud erat dogma, quo Christus ut angelicus solummodo spiritus repraesentabatur), aniles i. e. absurdas, quae profectae ex mentis imbecillitate, cum iusta sanaque ratione pugnarent. Ad haec erant magistri falsi *γενεαλογίαις ἀπεράντοις* addicti, hoc est derivationibus aeonum (ספירות Cabbalae) ex aliis aeonibus, qui (*συζυγίαις*) coniugiis uniti credebantur [77]); eaeque de-

---

ihre eigene an Subtilitäten hängende Bildung einer tiefern Erkenntniß (*γνωσις*) der irdischen und überirdischen Dinge hatten, kommt in den Schriften des N. T. keine Spur vor." Caeterum ex particula *τῆς ψευδωνύμου γνώσεως* tuto satis confici non potest, falsos Ephesi magistros temporibus iam Paulinis superbum sibi gnosticorum nomen arrogasse.

76) Si Eusebium IV hist. ecclesiast. cap. 7 audias, Irenaeus gnosticum Basilidem hominem dixit *τερατώδεις ἀναπλάσαντα μυθοποιΐαις*, i. e. eum, qui portentosas fabulas finxerit. Tertulliani sententia Valentinus introduxit multas fabulas.

77) Iam Tertullianus de praescript. cap. III hac ratione: „Sed et quum genealogias interminatas nominat (sc. Paulus), Valentinus agnoscitur, apud quem aeon ille nescio qui, novi

erivationes infinitae erant i. e. ad finem non erducebantur [78]) a pseudapostolis Ephesiis, siquidem una, quae iis placuerat, derivatio mox isplicebat, permutabaturque cum nova alia, et oc factum indesinenter. Praeterea genealogiae, quia aliis magistris falsis aliter instituerentur, aliae aliis approbarentur, gignebant controversias, neque viam consequendae σωτηρίας Deo praescriptam illustrabant, quae quidem

t non unius nominis generat e sua caritate sensum et veritatem, et hi aeque procreant duos, sermonem et vitam, deinc et isti generant hominem et ecclesiam; de qua prima ploade aeonum exinde decem alii et duodecim reliqui aeones miris nominibus oriuntur in meram fabulam triginta eonum;" cf. Tertullianum I contra Valentinianos cap. 5: isto illi patris ecclesiae hoc inest veri Paulum I Timoth. , 4 ob oculos habere gnosticos; quae dixit apostolus, ad tacita Valentini applicari credo *possunt*. Quae supra pronuntiata mihi est dictionis γενεαλογίαις interpretatio, probabilior esse videtur altera quapiam, iuxta quam dictione significantur „recensiones et inquisitiones dubiae simul et superstitiosae ortus et natalium uniuscuiusque (Iudaei vel Iudaeochristiani), in quibus magnum olim pondus esse arbitrati sint Iudaei ad gratiam Dei magis vel minus promerendam." Vocabula sunt Ioannis Crellii Franci ad I Timoth. 1, 4, quocum haud pauci scriptorum Novi Testamenti interpretes, ut Theophylactus, Occumenius hoc in genere conspirant.

78) Ait Hesychius: „ἀπέραντον, μέγαν, ἀτελείωτον ἐκ τοῦ πέρας μὴ ἔχειν." Apud Eusebium IV hist. eccles. 7. Irenaeus docet, extendisse Basilidem cogitationes suas (ἐπινοίας) in infinitum (εἰς τὸ ἄπειρον). Idem, ut declarat Eusebius IV hist. eccles. 11, infinitam voraginem (chaos) materiae (systematis) Valentinianae, qua errores multi continebantur (τὸν ἄπειρον βυθὸν τῆς Οὐαλεντίνου πολυπλανοῦς ὕλης), summa animi contentione explicuit.

via viva est in messianam Iesu dignitatem fides; cf. de omnibus hisce I Timoth. 1, 4 [79]). Inter doctores Ephesi falsos II Timoth. 2, 17 referuntur a Paulo Hymenaeus ac Philetus, qui nescio an pagana e religione adducti ad Christianam essent, quod vel paganis viri utriusque nominibus indicari videtur [80]). Contenderunt ambo, iam incidisse resurrectionem, et ea voce ψυχικὴν, ut arbitror, innuebant resurrectionem, qua homo, antequam corporalis mors adveniret, vita peccatis contaminata exiret, novamque et integram inciperet [81]): resurrectionem ergo fide et cognitione Christiana absolvendam, quam

---

79) Sequutus sum lectionem οἰκονομίαν θεοῦ, tanquam probis testimoniis critici generis externis stabilitam et difficiliorem. Si quis alteram οἰκοδομίαν praeponeret, Paulus aperiret: genealogias profectum seu incrementa in fide, quae Deo grata sint, haud efficere, genealogias pietatem Christianam, divinae voluntati accommodatam non promovere. Extat legendi ratio posterior apud Vulgat., editionibus N. T. a Beza aliisque procuratis. Cf. Wolfii curas ad I Timoth. 1, 4.

80) Hymenaeum Philetumque Sadducaeos ad Christum ductos fuisse, (quae est Leutvinii ob eam rem opinio, quia ambo pariter atque Sadducaei futuram resurrectionem carnis infitiati sunt,) equidem dubito ponere, quandoquidem rationibus certis demonstrari non potest, Sadducaeos, homines adeo σαρκικοὺς, spiritualem esse Iesu Christi religionem unquam professos.

81) De huiuscemodi resurrectione cogitasse complures saeculi secundi gnosticos, sicubi resurrectio corporum ab auctoribus sacri codicis commemoretur, quicunque Christianorum historiam dogmatum tenet, concedet. Et Tertullianus cap. 19 libri de resurrect. carn. mortales notat,

nisi quis his in terris expertus est, genuinus non est Christianus. Oblique reiecisse videntur Hymenaeus et Philetus doctrinam de futura resurrectione corporum, eaque ratione Christianorum in hanc resurrectionem fidem subvertisse, cf. *II* Timoth. 2, 18. Sententia mea, secundum quam homines Christiani, qui opiniones gnosticas cum aliis, Iudaicis potissimum confusas haberent, ipso tempore apostolico inventi sunt, Cerinthi quoque Iudaeochristiani, qui fertur in Asia Minore versatus esse, exemplo vehementer fulcitur. Nempe is, quomodo ab Irenaeo [82]) traditur, sumpsit, esse primum quendam Deum, qui quidem super omnia sit, abs quo tamen mundus procreatus non sit; mundum esse factum a quodam viribus instructo spiritu, seu, ut habet Irenaeus, virtute (*δυνάμει*), quae separata sit a Deo supremo (principalitate, *ἀρχῇ*), eumque ignoret. Iesum similiter, ut reliquos mortales natum esse, ex Iosepho nimirum ac

---

qui dicerent, etiam resurrectionem fide consequutos cum domino esse, quum baptisma induerint. Errat vero Sedulius, item Michaelis statuens, Hymenaeum ac Philetum voce *ἀνάστασις* designasse animorum, qui per mortem a corporibus suis disiuncti sint, in penitus nova corpora transitionem, ac si ambo haeretici placitum de metempsychosi Pythogoraeum probassent. Aliorum de scitis haereticorum sententias vide apud Cornelium a Lapide ad I Timoth. 2, v. 17, 18 propositas.

82) Cf. opus ecclesiastici patris, lib. I, cap. 26, § 1, ed. Massuet.

Maria; at sapientia, prudentia, iustitia (sa
tate) praestitisse hominibus. Posteaqua
Ioanne baptismum tulerit, aeonem quen
summi Dei filium, cui nomen Christi sit, i
sum sub forma columbae descendisse, et (
Iesu iunctum, per Iesum) Deum supren
hucusque hominibus incognitum annuntiass
miracula patrasse. Quum Iesus igitur i
fuisset, ut affigeretur cruci, revolasse Chri
ad Deum supremum de Iesu, ut is solus c
dolores et mortis passus sit, item resurrex
Christum, ut spiritualem aeonem, ἀπαθῆ n
sisse [83]). Cerinthus, qui proloquutus est
gnostica, de quibus nonnulla cum Basilide p
cipue consona prorsus sunt, idem affirm
eiusmodi Iudaizantia: regnum Christi post
surrectionem in terra fore, homines vitam I
rosolymis acturos, et libidinibus sese volu
tibusque ministros praestaturos esse: in c
brandis festis nuptialibus millia annorum
transactum. Talia Cerintho defensa vo
Caius, presbyter Romanus [84]), celebri, qu
cum Proclo Montanista habuit, disputatione,
quod ex Eusebio III hist. ecclesiast. cap. 28

83) Cf. Epiphanium haeres. XXVIII talia de haeresi
rinthi verba facientem, ut in propatulo sit, episcop
Lugdunensem Salaminio ante oculos obversatum.

84) Ab Eusebio II hist. eccles. cap. 25 Cajus sisti
ἐκκλησιαστικὸς ἀνὴρ κατὰ Ζεφυρῖνον Ῥωμαίων γεγονὼς ἐπίσ
πον.

paret. Et, uti eodem loco Eusebii legitur, Alexandrinus Dionysius libro secundo illius scripti, quo τὰ ἐπαγγέλια tractavit, memoriae prodidit, fore de Cerinthi sententia regnum Christi in explendis cupiditatibus ventris membrorumque infra ventrem sitorum, h. e. in esculentis, *potulentis*, nuptiis [85]), et, per quae ista εὐφημότερον repraesentari arbitratus est Cerinthus, in solemnitatibus, sacrificiis, victimis immolandis. Quodetiamsi neque Philo Hebraeus, neque Iosephus, neque Graeci Romanique primi p. Chr. n. saeculi scriptores profani sectarum gnosticarum, in ecclesia Christiana prodeuntium, mentionem iniiciunt [86]), tamen falsi doctores, quos Paulus epistolis ad Timotheum Titumque datis impugnat, atque Cerinthus, primo in saeculo reponendus, nihil relinquunt dubitationis, quin

---

85) Caio ac Dionysio Theodoretus opinor accepta refert, quae II lib. haeret. fabul. cap. 5 super chiliasmo Cerinthi σαρκικῷ litteris consignavit. At fieri potuit, ut Caius et Dionysius, Cerintho quasi chiliasmi patrono parum faventes, πνευματικὸν, quem theologus gnosticus fortasse eloquutus erat, chiliasmum polemices fervore abrepti in σαρκικον mutaverint. Moshemius quidem, immortalis memoriae vir, commentar. de reb. Christianor. ante Constantin. Magnum pag. 299, 200 omnem navat operam, ut istam a Cerintho depellat contumeliam, qua statuerit, ,, regnum a Christo Hierosolymis aliquando condendum sedem flagitiorum, criminum et deviarum cupiditatum fore."

86) Id ipsum premitur Dr. Iunkero, evicturo quippe, gnosticas sectas apostolico aevo, ergo primo p. Christum n. saec. non extitisse; cf. commentarium eius iam laudatum p. 55 sqq.

complures falsi doctores, primo saeculo exorti, gnosticis scitis infecti fuerint, quasi *πρόδρομοι* consummatorum gnosticorum [87]). Fallitur Hegesippus, quem historiae ecclesiasticae patrem quodammodo appellare possis, quum apud Eusebium lib. III, hist. eccles. cap. 32 dicit, ecclesiam Christi ad tempora usque Traiani puram virginem, neque corruptam illam permansisse. — Altera vero gnosticorum Christianorum classis perfectos complectitur gnosticos, quorum systemata theosophica ac mystica penitus exculta erant, quique secundum per saeculum inter Iesu Messiae sectatores capita sua sustulere. Collocandi sunt in puris putis iis gnosticis Ponticus Marcion, Saturninus, Valentinus, Basilides, alii, quorum systemata libro quodam singulari curatius, praecipueque quoad *γένεσιν* explicuit iam S. V. Neander. Istiusmodi opinor gnosticos consummatos Hegesippus significat, docens [88]): „*Ὡς δ' ὁ ἱερὸς τῶν Ἀποστόλων χόρος διάφορον εἰλήφει τοῦ βίου τέλος* (itaque postquam Ioannes quoque apostolus vita excesserat, quod principio saeculi secundi accidit) *παρεληλύθει τε ἡ γενεὰ ἐκείνη τῶν αὐταῖς ἀκοαῖς τῆς ἐνθέου σοφίας ἐπακοῦσαι κατηξιωμένων τηνικαῦτα τῆς ἀθέου*

---

87) Ne apud Simonem quidem Magum, quem constat in saeculo primo ponendum esse, gnosticismi desunt vestigia.

88) In Eusebii hist. eccles. lib. III, cap. 32.

πλάνης τὴν ἀρχὴν ἐλάμβανεν ἡ σύστασις, διὰ τῆς τῶν ἑτεροδιδασκάλων ἀπάτης, οἳ καὶ ἅτε μηδενὸς ἔτι τῶν Ἀποστόλων λειπομένου, γυμνῇ λοιπὸν ἤδη τῇ κεφαλῇ, τῷ τῆς ἀληθείας κηρύγματι τὴν ψευδώνυμον γνῶσιν ἀντικηρύττειν ἐπεχείρουν." Si qui auctores alii ecclesiae Christianae originem „*τῶν Γνωστικῶν καλουμένων*" ad saeculum secundum referunt [89]), credendi sunt de plane absolutis gnosticis loqui.

Quod ad pseudapostolos Colossenses attinet, ego considerata indole eorum accuratius, istos non altera in classe gnosticorum posuerim, sed in priori, i. e. habeam pseudapostolos pro hominibus, quorum cultus animorum gnosticismum saperet, quorumque placitis *σπέρματα*, particulae gnosticismi continerentur. Quodsi Viri aliquot eruditi censuere, pseudapostolos istos fuisse gnosticos, ego sententiae adstipulor, *dummodo* ab illis Viris *gnostici intelligantur ii, qui nonnisi elementis gnosticismi aliquibus imbuti, quasi tirones in gnosi sint* [90]). Verum enim

---

89) Allati sunt plures eius generis auctores a docto Iunkero loc. cit.

90) Dr. Iunkerus docet, haereticos, quos apostolus epistola ad Colossenses redarguat, non fuisse gnosticos; vide commentarium Eius pag. 32 sqq. Ut graviora saltem, per quae Vir eruditus sententiam suam confirmaturus, et *ὑπόθεσιν* illam, quam iuxta haeretici illi gnostici exstitere, refutaturus est, argumenta respiciamus; a) putat pag. 41 haud verisimile, „Spuren des Gnosticismus epistolis ad Colossenses Ephesiosque entdecken zu können." Hoc loco spectanda epi-

vero quoniam secundum linguae ecclesiasticae Christianae usum, quem tanquam *δεσπότην τινα*

---

stola ad Colossenses: vestigia gnosticismi, (sive theosophiae, unde prodiit gnosticismus saeculi secundi excultus) sunt dictiones *φιλοσοφία καὶ κενὴ ἀπάτη κ. τ. λ.* II Coloss. 8, *ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων*, II, 18 al. b) Dicit Dr. Iunkerus libro cit. pag. 42: „Nach — (ihren) Grundzügen war jene (scil. gnostica) Philosophie überhaupt so absurd, daß sie der Widerlegung des Apostels gar nicht werth war, oder dieselbe bedurft hätte, und dann viel zu subtil für das Fassungsvermögen einfacher, gemeiner, an solche excentrische Ideen gar nicht gewohnter Menschen-Gattungen." At si in fundamentis (Grundzügen) philosophiae gnosticae id ponit cl. Iunkerus (pag. 41): „Gott wohnt in dem reinsten Lichte," observo, etiam a Paulo I Timoth. 6, 16 repraesentari Deum ceu naturam, quae *habitet φῶς ἀπρόσιτον*, neque pronuntiari absurda ab apostolo per spiritum sanctum illuminato. Si Dr. Iunkerus praeterea fundamentis gnosticismi annumerat: „Gott ist der Anfang aller Dinge, unerschütterlich in der Einheit seines Wesens beharrend, — bald wurde diese Welt mit physischen und moralischen Uebeln behaftet; — je mehr der Erschaffene (homo scil.) der Materie anklebt, desto entfernter ist er von Gott; — durch verschiedene Stufen geistiger Erhebung nähert sich der Mensch der Gottheit. Unentbehrliche Mittel dazu sind: geistige Betrachtung, Reue, Reinigung, Abtödtung des Fleisches; — das Ende der Weltwesen besteht darin, daß die Seele von den Fesseln des Körpers und von den Beschwerden dieses Lebens befreit, in einen besseren und glücklichern, von den Flecken des Lasters gereinigten Zustand übergeht" (commentar. cit. pag. 42), haec utique omnia Christianae religioni congrua, sobria, sapientia sunt, atque ex *his* gnosticae philosophiae principiis philosophia haecce certissime non absurda erat. Insuper si Iunkerus cl. collocat ea in fundamentis gnosticismi: „durch ihren (i. e. aeonum varias in classes divisorum) concursus ist die geistige Welt (mundus spiritualis s. invisibilis) gegründet worden; die sinnliche Welt (mundus sensibilis s. visibilis) aber ist von einem Demiurg oder mehreren Aeonen erschaffen worden; — Dämonen gaben den verschiedenen Unglücksfällen,

δυνατὸν neque negligendum et observandum existimo, ὁ καλούμενος γνωστικὸς (ubi dictio sensu

---

Leidenschaften und unvermeidlichen Schicksalen der Menschen den Ursprung," alia (pag. 41, 42), haec quidem falsa sunt et absurda, eorum tamen refutatio tanto magis erat necessaria, quanto inter mortales superiorum temporum latius opiniones istiusmodi disseminatae erant. Postremo reputantibus nobis, fuisse Phryges, quos inter Colossenses quoque numerandi, mysteriosophiae et religioso cuidam fanatismo addictos, verisimile fiet, valuisse Colossenses, etiam decreta gnostica, subtilia illa quidem, verum imaginibus φαντασίας saepe proposita, animo comprehendere. c) Eam vocem emisit Dr. Iunkerus pag. 42: „Wahrlich, wenn die gnostische Lehre von dem Apostel gerügt worden wäre: so würde er, zumal wenn man bedenkt, daß diese Sache neu und unerhört gewesen wäre, die ganze Schilderung klarer und anschaulicher gegeben, und sowohl das doctrinelle als das praktische derselben in seiner Rüge ausführlicher behandelt haben; so würde er gewiß seinen Lesern (um sie desto mehr gegen dasselbe einzunehmen, und wieder zum christlichen Glauben zurückzuführen) ein treues Bild jenes Lehrsystems entworfen und hiebei nicht unterlassen haben, von den abgeschmackten Spitzfindigkeiten, von den lächerlichen Träumereien, von dem leeren Wortgepränge desselben zu reden;" excitat cl. Iunkerus hoc effatum Epiphanii ex I adv. haer. I, 26: „μεθυοντες και παραλαλουντες τα ῥηματα, τα μεν γελωτι πεποιημενα, ἑτερα δε κλαυθμου εμπλεα" Huic ego argumento ea oppesuerim: non continenter facit Paulus, ut doctrinas, subtilitates, caet. illorum, quos per epistolas aggreditur, perversorum doctorum exponat prolixius, praesertim si sunt „abgeschmackte Spitzfindigkeiten, lächerliche Träumereien, leeres Wortgepränge." Immo non raro ex iis ipsis, quae proloquitur contra falsos doctores, efficiendum est, quae his tandem placita approbata fuerint. Et Paulus, quod falsorum doctorum doctrinas nonnisi dogmaticis ethicisque locis genuinae religionis Christianae refellit, in hoc sine dubio agit sapientius, ac si doctrinas magistrorum et subtilitates, quae primis epistolarum lectoribus dubio procul notae erant, fusius describat. Δυνατὸν igitur, ut apostolus sit epistola ad Co-

malo usurpatur [91]) est omnibus suis numeris expletus ac perfectus gnosticus, qui secundum ad

---

lossenses in nondum excultum gnosticismum invectus, nec singulas tamen eius ideas doctrinasve omnes verbose enumeraverit. Neque epistolis ad Timotheum et Titum missis, quae eaedem oppositae theosophis Christianis sunt, placita eorum universa copiose clareque proponit. Dr. Iunkeri itaque contra eam opinionem argumenta, ex qua Paulus *gnosticismum non germanissimum, non excultum* in epistola ad Colossenses impugnat, stabiles probabilesque non sunt. — Lubet ex commentatione illa critica, quae inscribitur: „de integritate et authentia posterioris Petri epistolae sectio posterior," et cuius auctor Hermannus Olshausenius, theologiae Doctor utplurimum reverendus, fuit, huc transferre haec: „constat — his nostris temporibus (scil. vulgata est commentatio a. 1827) inter omnes antiquitatis Christianae aliquatenus peritos, gnosticorum semina in ipso aevo apostolico iam fuisse sparsa." Annotatione aliqua huic voci, quam pag 19 reperias, adiecta, Vir quem modo dixi acutissimus inter locos illos praecipuos Novi Testamenti, quibus gnosticos depictos credit, etiam II Coloss. 8; 16 — 23 refert. Si subiicit: „hoc tenendum est, in his gnosticorum primis vestigiis coniuncta esse, quae postea disiuncta reperiuntur, sententiae Iudaicae et gnosticae proprie sic dictae; quod de *Cerintho* notissimum est. Cf. Pauli comment. de Cerintho. Ienae 1795," non ego credam, negaturum iis esse aestumatum Olshausenium, etiam postea h. e. post elapsum aevum apostolicum, quin saeculo secundo, sententias Iudaicas et gnosticas proprie sic dictas nonnullis in gnosticis, veluti Basilide, coniunctas fuisse.

91) Apud Clementem quidem Alexandrinum tales quoque, qui rectam Iesu Messiae praeberent fidem, Christiani *γνωστικοὶ* appellantur; quod quo fiat sensu, Clemens aperit II *στρωμ.* pag. 383: „*Εἰ ὁ Κύριος ἀλήθεια καὶ σοφία καὶ δύναμις θεοῦ, ὥςπερ οὖν ἐστι, δειχθείη, ὅτι τῷ ὄντι γνωστικός, ὁ τοῦτον ἐγνωκὼς καὶ τὸν πατέρα τὸν αὐτοῦ δι᾽ αὐτοῦ.*" Vitae actio gnostici reapse Christiani, quomodo comparata sit, manifestum est ex VI *στρωμ.* pag. 665 atque VII, pag. 765:

saeculum pertineat, *satius esse iudico, falsos Colossensium doctores theosophos in profitendo ipso Christianismo multis modis Ἰουδαΐζοντας nominare.*

Liceat mihi, hanc de ortu naturaque pseudapostolorum Colossensium disceptationem [92]) aliquo Hobbesii effato ad umbilicum, ut Ho-

---

„*Εὔχεται ὁ γνωστικὸς καὶ κατὰ τὴν εὔνοιαν, πᾶσαν τὴν ὥραν, δι' ἀγάπης οἰκειούμενος τῷ θεῷ.*" „*Ὁ βίος οἶμαι τοῦ γνωστικοῦ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ ἔργα καὶ λόγοι τῇ τοῦ κυρίου ἀκόλουθοι παραδόσει.*" Cf. Suiceri thesaur. ecclesiasticum, item Binghami Origines eccles. tom. I, p. 4, ed. Grischov,

92) Respicienda adhuc ea est sententia, cuius de pseudodoctoribus auctor extitit S. V. Hugius in egregia illa, quam in N. T. perfecit, isagoge, tom. II, pag. 584 sqq, edit. II: „Es war schon lange her ein morgenländisches, und wie man es nannte babylonisches oder chaldäisches Lehrgebäude den Griechen und dann auch den Römern vor August, und noch mehr in den augusteischen Zeiten bekannt, und im vollen Anzuge, sich über Asien und Europa zu verbreiten. Es stellte verschiedene Gottheiten und Mittelgeister zur Erklärung gewisser Naturbegebenheiten auf, und überhaupt zum Geschäfte der Weltregierung, und zur Beantwortung anderer metaphysischen Fragen, welche von jeher unter die schwierigen Aufgaben der Weltweisheit gehört haben. Der praktische Theil dieses Systemes beschäftigte sich mit den Vorschriften, durch welche man sich mit diesen Geistern, oder Dämonen, in Einverständniß setzen könne. Der Erfolg aber, den sie (sc. homines, de quibus agitur) aus dieser Verbindung mit den göttlichen Naturen versprachen, war dieser, daß man durch ihre Hülfe übermenschliche Kenntnisse erlangen, und künftige Dinge weissagen, und übernatürliche Werke verrichten könne. Diese Philosophen waren unter dem Namen der Magier und Chaldäer berühmt, welche, um den westlichen Nationen sich mehr anzupassen, ihr System nach griechischen Formen umbildeten, und dann selbst mit der Lehre des Plato, wie es scheint, zu vereinbaren wußten, woraus n a c h h e r die neuplatonische Schule, und im Christenthume die gnostische Schule entsprungen sind." Ve-

ratii phrasin adhibeam, adducere: „Quantum laboris diligentiaeque in veritate investiganda adhibitum (aliis) sit, scio. Quid (ego) effecerim, nescio. Nam inventa nostra minus recte aestimamus."

XIII. *Quid Paulum ad epistolam Colossensibus dicandam permoverit, disquiritur.*

Michaelis altera editione introductionis in N. T. tom. II, § 156, Zachariae isagoge in seine paraphrastische Erklärung der Briefe Pauli an die Galater, Epheser, Philipper, Kolosser caet., Hezelius in opere: Bibel Alten und Neuen Testaments mit Anmerkungen, tom. X, pag. 127, 128, alii, ii, dum Theodoreti magni ad IV Coloss. 16 annotationes amplificant, e vocabulis IV Coloss. 16 Colossenses spectantibus: (*ποίησατε*) „*τὴν ἐκ Λαοδικείας* (scil. *ἐπιστολὴν*), *ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶ-*

rum est, multa, fraudulentis magistris Colossarum propria, etiam in Magis illis et Chaldaeis fuisse, qui ex S. V. Hugii sententia Paulo ob oculos versati sunt pag. 595, veluti placita de ordinibus spirituum caelestium superioribus inferioribusque, de adminiculis, quorum ope homines cum naturis illis spiritualibus copulentur. At sententiae quominus assentiar, vel eo praepedior, quod Magi ii et Chaldaei, qui ecclesiam Colossensem perturbasse putantur, Paulina tempestate Christianam ad religionem transgressi perillustri Hugio (quod sciam) non dicuntur, quum pseudapostoli tamen, quos adoritur Paulus, Christianam, ut supra monstratum, doctrinam (quamquam non toto pectore) profiterentur. Et hoc quidem pace summi Viri dixerim.

–te", verisimile fieri docent, „Laodicenses epistolam quandam de erroribus per doctores falsos inter se, Colossenses, Hierapolitanos sparsis ad Paulum misisse, consiliaque sibi super doctoribus istis Paulina expetivisse. Iam Paulum quidem consilia ac praecepta, ψευδοδιδασκάλους attingentia in aliqua epistola responsionis videlicet loco dedisse, sed epistolam dicasse Colossensibus, item ad Colossenses ferendam curasse, propterea forsan, quod coetus Colossensium Christianus maior esset ac plures per ἑτεροδιδασκάλους agitaretur, quam Laodicensis. Interea rogare tamen Paulum iuxta IX Coloss. 16 Colossenses, ut epistolam ad ipsos Colossenses datam, simul ut ipsi legissent, mitterent Laodiceam, ubi in conventu Christiano solemni recitaretur; ipsi vero epistolam a Laodicensibus ad Paulum datam descriptamque compararent sibi a Laodicensibus atque legerent, Pauli responsum eo melius intellecturi." Equidem, ut omittam, ὑπόθεσιν eam de epistolae ad Colossenses ansa esse artificio nimio factam, ne dicam contortam, haec praecipue, propter quae ὑπόθεσις improbabilis existimanda sit, argumenta enuntiaverim: a) nulla, quae integre iudicanti Novi Testamenti interpreti satisfaciat, reddita hactenus est ratio, qua apostolus sit adductus, ut posteaquam consilia eius et institutiones epistola singulari a πιστοῖς Laodicensibus exquisitae essent, epistolam pro responsis futuram, Chri-

stianis *Colossarum* dicaret, neque vero Laodicensibus fidelibus, vel saltem *Colossensibus* et *Laodicensibus*. b) Etiamsi quam accuratissime perlustres datas ad Colossenses litteras, in nullum ibi verbum, nullam loquendi formulam, nullam conformationem sententiarum incides, quibus significetur, rescribi litteras ad epistolam a Laodicensibus apostolo paganorum scriptam. Hoc vere dicturus mihi esse videor: litterae ad Colossenses, si essent responsionis loco, etiam responsionis formam, ad minimum indicia responsi tenerent, quomodo canonica prior ad Corinthios epistola VII, 3. c) In confesso sane est, Chrysostomum, Oecumenium, Erasmum, Vorstium, Iablonskyum, aliosque ἐξηγητὰς haud spernendos accipere dictionem τὴν ἐκ Λαοδικείας de epistola, quam Laodiceni Paulo miserint. Nihilominus opinor, si Paulus hoc voluisset verbis exprimere, deprehenderemus apud Paulum „τὴν τῶν Λαοδικείων", sive „τὴν τῆς Λαοδικείας πρὸς ἐμέ." Particula τὴν ἐκ Λαοδικείας designatur talis epistola, quam Colossenses curaturi essent Laodicea ad semetipsos perferendam, quae igitur, uti a vero non abhorret, etiam Laodicensibus Christianis scripta esset. — Iam vero ista oritur quaestio, abs quonam epistola ἡ ἐκ Λαοδικείας concinnata sit? Verba „ἡ ἐπιστολή" IV Coloss. 16 *simpliciter* posita epistolam a Paulo exaratam dubio procul innuunt, id quod Colossensibus per se et ex se perspicuum

esse debebat; quidni nos intelligamus et vocabula „τὴν ἐκ Λαοδικείας”, loco scilicet eodem ac pariter simpliciter (i. e. sine auctoris nomine) pronuntiata, de epistola a Paulo confecta. Epistola haec ἐκ Λαοδικείας, si ab alio quopiam perscripta esset, alterius auctoris nomen adiectum foret. Gregorius quoque Magnus, Aquinas Thomas, Caietanus, Lutherus, Hunnius existimavere, significari particula τὴν ἐκ Λαοδικείας aliquam ad ipsosmet Laodicenses a Paulo concinnatam epistolam. Bellarminus, ut eandem fovet IV lib. de verbo Dei cap. 4 opinionem, sic ibidem iudicat certum, *periisse* eam Pauli ad Laodicenses epistolam. Et vero sunt deperditae nonnullae epistolae Paulinae; sic illa, quae I Corinth. 5, 9 attingitur. Verum enim vero epistolam, qua de agatur, etiamnum extare, mihi certe probabile est. Profecto ego non is sum, qui arbitrer genuinam Pauli ad Laodicenses epistolam esse eam, quae Laodicensium nomine inscripta, Graece inveniatur in Fabricii codice apocrypho Novi Testamenti, p. 873 sqq., latineque in Sixti Senensis bibliotheca sancta, lib. II, pag. 113, et in quam saeculo septimo decimo a Praetorio, divini verbi ministro, commentarius adeo paratus; etenim ea est nonnisi frigidum aliquod et insulsum epistolium, manu haud Paulina confictum; est epitome aliarum, quae a Paulo fluxere, epistola-

rum [93]), quumprimis epistolae ad Philippenses missae. Album ego porro non addo calculum opinioni Hyperii, Bullingeri, aliorum, quibus iudicibus ἡ ἐκ Λαοδικείας ea est epistola, quae ad Timotheum prior conscripta est. Suppeditentur sane in ὑπογραφῇ prioris ad Timotheum epistolae: „πρὸς Τιμόθεον πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Λαοδικείας" κ. τ. λ. Supposititiam subscriptionem esse, vel lectionum, quae in ea obtinent, diversitate demonstratur; vide Griesbachii Novum Testamentum, et quae ad finem epistolae ad Timotheum prioris observavit. Ego aeque ut Grotius, Clericus, Hammondus, Io. Huth, theologus Erlangae, hanc tutissimam esse censeo coniecturam, Pauli ad Laodicenses epistolam non aliam esse, nisi illam, quae fere ad Ephesios inscribatur. Nititur coniectura praeprimis eo argumento: ait Tertullianus lib. V contra Marcion., cap. 11: „praetereo hic et de alia epistola, quam nos ad Ephesios praescriptam habemus, haeretici vero ad Laodicenos." Idem cap. 17: „ecclesiae quidem veritate epistolam istam ad Ephesios habemus emissam, non ad Laodicenos; sed Marcion aliquando ei titulum interpolare gestiit, quasi et in isto diligentissimus explorator." Inde clarum, eccle-

93) Haec forsan est πεπλασμένη ista ἐπιστολή, quam ab omnibus explosam esse, scimus ex cap. V catalogi scriptorum ecclesiasticorum, Hieronymo contexti.

clesiam catholicam antiquam, saltem maiorem longe eius partem habuisse epistolam, quam vulgo dicunt ad Ephesios missam, pro epistola ad Ephesios; Marcionem vero et qui eum sequerentur, pro epistola Laodicenis destinata: et hoc ea forsan de causa, quia exploratum haberet Marcion, Ponticos Christianos, ex quibus ipse prodiisset, epistolam vulgo ad Ephesios inscriptam, credidisse Laodicensibus dicatam [94]). Diversae de hominibus iis, ad quos pertinet epistola, sententiae ita commode concilientur licet, si sumimus, epistolam ad Ephesios fere inscriptam, Ephesiae Laodicenaeque ecclesiae et aliis compluribus, in Asia anteriore sitis, dicatam fuisse [95]). Favent ei coniecturae sane multa, velut quod epistola, quam hodieque ad Ephesios inscribunt, argumento est, si dogmata vitaeque praecepta respicias, generaliore, quod Basilius Magnus aliquot Novi Testamenti codicibus particulam ἐν Ἐφέσῳ, quam plerumque I Ephes. 1 reperias, quaque *soli* Ephesii intelligendi ii sunt, qui epistolam accepturi essent,

94) Ut Marcionem tanquam interpolatorem inscriptionis epistolae, quae plerumque ad Ephesios missa putatur, repraesentaret, Tertullianus ira odioque, quibus in haereticum Marcionem ferebatur, adductus, uti arbitror, est.

95) Multorum Novi Testamenti criticorum iudicio utique encyclica est, quae vulgari appellatione ad Ephesios fertur, epistola, quamquam eam non solis anterioris Asiae coetibus Christianis ab auctore dicatam volunt: haec est Koppii, Bertholdtii, Haenlinii ratio.

non invenit, id quod ex I lib. contra Eunomium cap. 19 (opp. Basilii ed. a Garnierio, tom. I, pag. 254) sententia mea emergit. Rebus sic se habentibus, arripit, quum Dr. de Wettius, Vir admodum reverendus, in suo „Lehrbuch der historisch-kritischen Einleitung in die canonischen Bücher des Neuen Testaments" pag. 256 proloquitur: „Daß der Brief an die Laodicener (Col. IV, 16) der unsrige an die Epheser sei, ist sehr zweifelhaft: denn Paulus würde schwerlich die Lesung dieses so wenig Eigenes enthaltenden Briefes den Colossern empfohlen haben." Fateor ingenue, deprehendi a me epistola ad Ephesios, ut aïunt, haud pauca, quae propria plane sint epistolae, nempe I Ephes. 3—6; v. 8, 9; v. 11—14; v. 19, 20; II, 6—15; v. 17—22; III, 10—15; v. 17—21; IV, 4—14; v. 17—21; v. 27, 28, 30; V, 1, 2; v. 7—14; v. 18; VI, 10—17; v. 23, 24. Profecto sat multa insunt epistolae ad Ephesios datae, quae eadem in epistola ad Colossenses occurrunt; sed ex parte tamen tractata uberius sunt, atque dogmaticis quibusdam et ethicis locis epistolae ad Colossenses illustrandis inserviunt egregie. Propterea litteras ad Ephesios inscriptas παρίστησι Paulus Colossensibus legendas [96]). — Quodsi vero est similis coniectura, τὴν ἐκ Λαο-

96) Epistola ad Ephesios fere dicta, ut a Laodicea mittatur Colossensibus, iccirco opinor optat apostolus, quoniam inter illas ecclesias Asiae Minoris, ad quas epistola data erat, Laodicensis Colossensi maxime vicina haberetur.

διακονίας (IV Coloss. 16) epistolam Pauli ad Laodicenses et eandem esse cum Paulina ad Ephesios epistola, corruit prorsus ὑπόθεσις, de epistolae ad Colossenses missae occasione supra exposita.

Nobis quidem ansa epistolae cogitatione ita videtur informanda: Epaphras, posteaquam ut testis oculatus conspexerat statum Colossensis, Laodicensis, Hierapolitanae ecclesiarum periculosum, neque vero, qua ratione optime ecclesiis succurreretur, perspexerat, is, quum probe sciret, medicinam quandam salutarem ac praesentem, quae magnis malis ecclesiarum adhibenda esset, apostolo, cui Spiritus sanctus esset impertitus, haud defuturam, ἑκουσίως, nisi fallor, ad Paulum Romana in vincula coniectum perrexit [97]), nequaquam curans, Romam plus-

97) Erant theologi Britannici, qui arbitrarentur, Epaphram esse a Colossensibus missum ad Paulum (idem Cornelio a Lapide ad I Coloss. 7, Bellesobrio in préface sur l'épitre de S. Paul. aux Colossiens, aliis visum) cui scilicet dolendum statum coetuum eorum Christianorum, qui fundati essent Colossis, Laodiceae, Hierapoli depingeret; abs quo rationes, per quas mala coetibus illata amoverentur, exquireret. Egomet sententiae ei adstipulari nolim; nam, si Epaphras ad Paulum missus esset, Paulus Epaphrae, ut *legati* Colossensium, in epistola ad hos data haud dubie fecisset mentionem (sicut litteris ad Philippenses missis Epaphroditum, quem tenemus a Philippensibus Romam ad Paulum missum, ἀπόστολον Philippensium nominat: cf. quae cl. Rheinwaldus, Vir doctus, commentario „über den Brief an die Philipper" ad II Philipp. 25 prudenter observat); Paulus praeterea non praetermisisset memorare, Epaphram, qui

quam CCLXX milliaria Colossis disiunctam esse [98]). Romae communicavit cum apostolo, quae tribus illis ecclesiis, praecipue Colossensi fausta contigerant, verbi causa Christiana huiusce vita, cui fides in Christum Iesum erat subiecta. Praeterea Paulo nuntiavit infausta, tristia, ut errores theosophorum exitiosos, quamvis permistos illos cum decretis veris [99]), ut discrimen seductionis, ipsamque per pseudapostolos factam seductionem (II Coloss. 8; IV, 12; II, 20 sq.); neque opem petere neglexit. Nuntiis ab apostolo Colossensium allatis, eiusque petitionibus videtur Paulus permotus, ut pararet epistolam aliquam ad Colossenses, quam et Laodicensibus (IV, 16) atque, uti probabile est, Chri-

secundum v. 23 epist. ad Philemon. ὁ συναιχμάλωτος Pauli ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ esset, i. e. qui iisdem cum Paulo vinculis adstrictus esset, quum studio vehementi doctrinam περὶ τοῦ Χριστοῦ ἐσταυρωμένου divulgasset, captum esse, (quemadmodum II epist. ad Philipp. 27 declarat, Epaphroditum legatum Philippensium, adeo aegrotasse (Romae), ut morti vicinus fuisset). Omnino nativum maxime videtur, Epaphram, qui Christiani gregis Colossensis pastor esset fidelis ac diligens (I Coloss. 7), itemque sorte gregis graviter commoveretur, mandatum gregis, ut in gregis commodum auxilium Pauli imploraret, non diu exspectasse, verum sua potius sponte convenisse Paulum, quodque supra significavimus, in urbe ea, quae aeterna appellabatur, fecisse.

98) Secundum Buntingii in itinerario calculos.

99) Extat haec Augustini vox: „nulla falsa doctrina est, quae non veri aliquid permisceat." Annectit Io. Georg. Müllerus pag. 553 seiner philosophischen Aufsätze: „nur durch das, was wahr in dem Irrthum ist, findet er Eingang."

stianis Hierapolitanis recitatam vellet, utrisque quippe in eadem, quibus obnoxii Colossenses erant, discrimina vocatis.

In his, quae ego modo disputavi de epistolae occasione, non conquiescit cl. Iunkerus, qui commentarii sui „über den Brief Pauli an die Colosser" pag. 8, 9 talia, quae per mihi mira videntur, dicat: „Aus einigen Stellen dieses (sc. Briefes: IV Coloss. 8, 9, 11), und des Briefes an Philemon (v. 10, 11, 13, 15, 16) läßt sich schließen, daß Paulus nicht unmittelbar von Epaphras, dem Gründer der Gemeinde, sondern von Onesimus die erste Nachricht (?) von dem kläglichen Zustande zu Colossä erhalten haben mag." Suffragamur nos erudito Viro, narranti, Paulum remisisse Onesimum cum epistola ad Philemonem dominum, „der unterdessen selbst das Christenthum angenommen habe." At si pergit Dr. Iunkerus: „Wohl mußte Paulus die Ueberzeugung hegen, Philemon werde den christlichen Glaubensgenossen und ehemaligen Diener (sc. Onesimum) — als einen Freigelassenen ihm wieder zurückfinden; des Apostels Hoffnung ward erfüllt: Onesimus kehrte nach Rom zurück, und brachte dem Apostel (dieß können wir aus den vorhandenen Datis mit Recht conjecturiren) die betrübende Nachricht von dem unglücklichen Schicksale der Gemeinden zu Colossä, Ephesus und der ganzen Umgegend. Sogleich schrieb nun der Apostel die beiden Briefe an die Ephesier und Colosser", contendere nos sustinemus, universa ea ex IV Coloss. 8, 9, 11 et v. 10, 11, 13, 15, 16 ad Phi-

lem., quos locos doctus Vir fulciendis iis excitavit, nullo modo sequi; idque confitebitur, quisquis sacrae scripturae grammatice, historice, sine opinionibus praeconceptis enarrandae peritus est. Posterior itaque, quam Dr. Iunkerus videlicet proposuit, conscribendae ad Colossenses epistolae ansa improbanda est, quum praesertim ex nullis effatis Pauli, nullisque patrum apostolicorum locis indubitatis confici queat.

XIV. *Solum Paulum fuisse epistolae fontem, probatur.*

Ex eo, quod principio epistolae Paulus ac Timotheus salutem Colossensibus dicunt, si quis effecturus sit, datam esse epistolam a Paulo ac Timotheo ad Colossenses, magno is in errore versetur. Timotheus, tunc temporis utens consuetudine apostoli, salutat fideles Colossenses, quandoquidem, quemadmodum eorum in Christo frater erat, sic fervido eos amore complectebatur. Sit sane in confesso, pluribus locis epistolae numerum occurrere pluralem, quasi mortales duo auctores epistolae fuerint, nempe I Coloss. 3 *εὐχαριστοῦμεν, προσευχόμενοι;* v. 4 *ἀκούσαντες*; v. 7 *ἡμῶν;* v. 8 *ἡμῖν;* v. 9 *ἡμεῖς ἠκούσαμεν, παυόμεθα προσευχόμενοι, αἰτούμενοι,* quique alii sunt huc trahendi loci. At aliarum epistolarum loci, ut II Corinth. 8, 1; 7, 2; 1, 18; I Roman. 5 nonne indicio sunt perspicuo, Pau-

lum pariter atque apostolum Ioannem (I Io. epist. 1, 4, cf. cum 2, 1) saepius pluralem numerum eum in modum usurpare, ut neminem, nisi semetipsum designet: facitque Paulus citra superbiam ullam, abs qua vel maxime apostolus ille abhorreret, qui τὸν ἐλάχιστον τῶν ἀποστόλων se nominavit (I Corinth. 15, 9). Sed ne multa! quum versiculis sat multis litterarum ad Colossenses sic offendatur singularis numerus, ut auctorem litterarum respiciat, velut IV Coloss. 4 φανερώσω; v. 8 ἔπεμψα; v. 13 μαρτυρῶ; II, 1 ἔχω, μου, θέλω; v. 5 χαίρων καὶ βλέπων ἄπειμι; I Coloss. 23 ἐγενόμην ἐγὼ Παῦλος διάκονος; v. 24 ἀνταπληρῶ μου aliisque versibus, numne pluribus quaeso argumentis egemus, virum unum, Paulum epistolae ad Colossenses auctorem extitisse?

Quaesierunt quidam, quid esset causae, quare apostolus ethnicorum neque in circularibus illis litteris, quae fere ad Ephesios inscribuntur, verumtamen etiam Colossensibus perlustrandae essent, acquievisset, et singularem ad Colossenses concinnasset epistolam? Cuius quidem rei causas egomet reperio duas: a) fuerunt aliqua non illis, quibus epistola dicta ad Ephesios destinata est, sed Colossensibus unis propria, quae in epistola singulari tractare, profecto e re esset: Epaphrae verbi gratia auctoritas per pseudapostolos erat Colossis diminuta, placita Epaphrae ceu falsa atque antipaulina Colossen-

sibus repraesentata erant. Quid ergo erat magis consentaneum, quam singularibus ad Colossenses litteris auctoritatem Epaphrae confirmare, ac dogmata Epaphratica recta esse vereque Paulina declarare? b) Quod Colossenses amore quodam spirituali ipsum erant Paulum complexi (I Coloss. 8), grato haud dubie animo agnovit apostolus, gratumque suum animum mittenda ad Colossenses epistola singulari significandum sibi, opinor, credidit.

XV. *Agitur de loco epistolicae scriptionis.*

IV Coloss. 3 eum praestat sese Paulus, qui vinculis sit adstrictus. „*Μνημονεύετέ μου τῶν δεσμῶν*" Colossenses IV, 18 monet i. e. dum ob professionem evangelii adversis in rebus versamini, recordamini, me quoque, quamquam apostolum Iesu, praedicato evangelio vinctum esse, neve propter res vestras adversas *γογγύζετε;* aut: preces fundite ad Deum omnipotentem, ut mox adimat mihi vincula, quo valeam gentibus *γνωρίσαι τὸ μυστήριον τοῦ εὐαγγελίου,* VI Ephes. 19. Utram autem cunque explanationem probaveris, is locus nihil habet dubitationis, quin Paulus ut homo captivus epistolae, de qua sermo est, auctor evaserit. Quaerentibus iam nobis, quo oppido vinculis teneretur apostolus, quum epistolam ad Colossenses concinnabat, Petrus Lombardus, Lanfrancus, Dio-

nysius Carthusianus et si qui alii sunt respondent, Ephesum oppidum illud fuisse; parum id quidem probabiliter, siquidem Christiana antiquitate nil nos docemur, apostolum per vitam suam fuisse Ephesio ulli carceri inclusum. Tametsi nos diffitemur nulli, Paulum aliquando agentem Ephesi, ubi Demetrius ἀργυροκόπος paganae plebis tumultum faceret, a captivitate aliqua Ephesia, quin ab interitu non ita multum abfuisse, cf. XIX Act. apostol. Ὑπογραφὴ epistolae ad Colossenses „πρὸς Κολοσσαεῖς ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης" genuina non est [100]), inde hoc tamen apparet, fuisse superioribus rei Christianae saeculis, quibus epistola ad Colossenses videretur in illustribus Romanis compedibus conscripta [1]). Huic ego coniecturae, quam Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus amplexati sunt, assentior equidem, pugnantibus pro illa haud contemnendis argumentis: a) Τὰ περι-

100) Idem est Griesbachii iudicium. Vide varias hypographas epistolae, quibus illa pro subdititia habenda, apud Ipsum, epistolae fine.

1) Concinit ea cum coniectura, quod Paulus IV Col. 3 profitetur, vinculis se ideo constrictum, quod et paganis excelsum, sed ad Christum usque natum arcanum Dei decretum promulgarit, ex quo viva fide in Iesu Messia reposita mortales omnes redimantur ac beentur; quodque I Coloss. 24 aperit apostolus, sufferre se suas calamitates ob Christianos olim paganos, i. e. propterea, quia eos in ecclesiam Christi, in regnum Dei receperit. Nonne ea potissimum re Paulus Hierosolymis captus, mox Caesaream Stratonis, postremo Romam in carcerem ductus est?

κείμενα, quibus versatus Paulus est, dum litteras ad Colossenses concinnat, eadem cum illis sunt, quibus est versatus, quum in custodia Romana erat. Veluti διδάσκει in ea ἀκωλύτως τὰ περὶ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ (XXIX Act. 31), per epistolas quoque; (designant Graeca illa, annuntiasse Paulum prohibitum a nemine homine doctrinam, quam iuxta Iesus Nazarenus ecclesiae Christianae Dominus esset;) et talem quidem statum, in quo facere id posset Paulus, praesupponunt litterae ad Coloss. b) Secundum I Coloss. 1 est Timotheus cum Paulo, et captivo videlicet, et epistolam ad Colossenses dante. Timotheus autem non in custodiis Pauli Hierosolymitana et Caesareensi, verum Romana praeceptoris dilectissimi socius fuit, quod principiis epistolarum ad Philippenses ac Philemonem, quas Romana in captivitate Paulus perfecit, ostenditur. Accedit, ut Barnabae cognatus Marcus IV Coloss. 10, Demas v. 14, Onesimus v. 9, Tychicus [2]) v. 7 aliique ἐν Χριστῷ ἀδελφοὶ captivi Pauli sint sodales: et ii, quomodo epistolis ad Philemon. (v. 23, 10) atque Ephesios (VI, 21, 22) commonstratur, cum Paulo Romae capto fuere. Ne per haec quidem et talia argumenta, quibus de Romano epistolae nostrae ortu ὑπόθεσις suffulta est, stare potest opinio, quam Georgius Ludovicus Oederus, vir quam-

---

2) ἔπεμψα IV Col. 8 est vernaculum: Ich schicke.

libet ingeniosus, in syntagmate observationum suarum sacrarum pag. 660 proposuit, nempe litteras ad Colossenses non Romae, sed alibi et aliquot annis ante (sc. captivitatem Romanam) exaratas.

XVI. *Inquiritur in tempus, quo epistola ad Colossenses concinnata est.*

Epistolae, ad Colossenses et Philemonem inscriptae, uno tempore et eodem datae a Paulo sunt. Quippe quum prior illa apostolo conficeretur, Epaphras (IV Coloss. 12, 13), Marcus, Aristarchus (v. 10), Demas, Lucas (v. 14), qui in promulgando evangelio suam cum Paulo operam solerent collocare, Pauli contubernales fuerunt, et Colossensibus salutem dixerunt; ii vero ipsi, ubi contextum est epistolium ad Philemonem, quemadmodum apostoli paganorum socii fuerunt, sic Philemonem Colossensem salutarunt (v. 23 ad Philem.). Ad hoc Onesimus, qui perferret epistolium ad Philemonem (v. 11, 12 ad Philemon.) Tychici [3]) comes fuit, datam

---

3) Tychicus ab Luca XX Act. 4 dicitur Ἀσιανὸς, homo, cuius patria fuit Asia proconsularis. Idem an fuerit ἐκ περιτομῆς i. e. ex circumcisis, parentibus Iudaeis natus, dubium, quando incertum est, num particula οἱ ὄντες ἐκ περιτομῆς, IV Coloss. 11 obvia, etiam ad Tychicum IV Coloss. 7 commemoratum pertineat, an Aristarchum duntaxat, Marcum, Iesum cognomine Iusti, qui IV Coloss. 10, 11 proferuntur, spectet. Posterius credibilius. Tychicus doctrinam Chri-

ad Colossenses epistolam his reddituri (IV Coloss. 9, 7, 8.). Et quod apostolus epistolio ad Philemonem vinculorum, quibus sit pro evangelio Iesu Christi annuntiato obstrictus, mentionem iniicit toties (v. 1, 9, 13, 23), idne probe conspirat cum decreto superiori, epistolium cum epistola ad Colossenses Romanis vinculis data, uno puncto temporis concinnatum esse [4])? Id cognitum habere, quanti sit momenti ad tempestatem, qua litterae ad Colossenses confectae sunt, accuratius constituendam, illico manifestum erit. Heideggerus lib. III enchiridii biblici, cap. 14, § 4, item Calovius bibliis Novi Testamenti illustratis, et quidem praeloquio eorum, quae observavit in epistolam ad Philemonem, defenderunt, tempus epistolae ad Co-

---

stianam postea professus, Paulo quidem carus exstitit cf. VI Ephes. 21; IV Coloss. 7, Pauli comes fuit, quum evangelii propagandi gratia itinera facientis cf. XX Act. 4, tum vero vinculis, veluti Romanis, ob propagatum evangelium onerati cf. IV Coloss. 7, 8; II Tim. 4, 12. Apostolico mandato profectus saepe est ad alios fideles, quibus iussa Pauli epistolasve perferret, III Tit. 12, al. Insuper cum Paulo locavit in enuntianda Domini Iesu doctrina operam, fidumque se in exsequendis officiis ministrum Iesu gessit, VI Ephes. 21. Existimandus est εὐαγγελιστὴς i. e. περιίων κηρύττων; vide Theodoreti ad IV Ephes. 11 notam.

4) Hoc placet et Iunkero docto, cf. commentar. Eius iam citat. pag. 15; tamen idem vult pag. 8, 9, inter conceptionem epistolii ad Philemonem ac scriptionem epistolae ad Colossenses intercidisse et profectionem Onesimi Roma Colossas institutam et reversionem Onesimi Colossis ad urbem Romam. Ea vero magna est placitorum repugnantia!

lossenses scriptae tempus fuisse posterioris, quam Paulus Romae subierit, captivitatis: at male! nempe in ponendo vers. 22 ad Philemonem confidit Paulus, sese, quoniam fideles preces pro salute ipsius ad Deum fundant, fidelibus divina gratia concessum iri, hoc est, semet Deo ipso moderante ex captivitate sua iri dimissum. Apostolica haec vox in vincula Pauli posteriora Romana nullo pacto quadrat, utpote quibus Paulus eloquatur: „τὸν δρόμον τετέλεκα (II Tim. 4, 7); ἐγὼ ἤδη σπένδομαι καὶ ὁ καιρὸς τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέστηκε (loc. cit. v. 6.); ὁ κύριος — σώσει (sc. με) εἰς τὴν βασιλείαν αὐτοῦ τὴν ἐπουράνιον" (v. 18): i. e. ad finem curriculi vitae meae et apostolici muneris perveni; iam in eo sum, ut sanguis meus pro Christi professione atque praedicatione effundatur [5]), instatque tempus discessus mei ex vita terrestri [6]); Christus Iesus me (meo obitu ab insidiis adversariorum liberabit, et) in caeleste suum regnum, ad felicitatem eius aeternam perducet

---

5) Vox σπένδεσθαι primo de victima pagana usurpatur, cuius capiti prius adspergeretur vinum, quam Dei cuiusdam honori mactaretur. Dein est universim immolari, θύεσθαι, adeoque simpliciter interimi.

6) De vocabulo ἀνάλυσις cf. Loesneri observationes ad II Timoth. 4, 6, sumptas illas ex Philone Alexandrino. — Mortem imminere suam, coniicere poterat apostolus e malitia atque odio magistratuum Romanorum adversus sectatores Iesu Messiae, praecipueque insignes doctrinae Christianae praecones.

salvum [7]). Quae v. 22 ad Philem. effatur Paulus, iis ad eam movemur sententiam, epistolam ad Philemonem, ideoque et epistolam ad Colossenses, concinnatas a Paulo esse in *priori* eius carcere Romano, unde quum eductus esset, Asiam Minorem videtur revisisse. Est vero prior Pauli captivitas Romana, si Usserium [8]) et Eichhornium [9]) exaudire constitueris, in annis 63—65 post Chr. n. collocanda. Immo vero epistolio ad Philemonem non modo sperat apostolus, vinculis se solutum iri, sed Christiano illi Colossensi praecipit, ita instruat domicilium suum, ut Paulum (comitesque) excipere possit [10]): hinc ausim colligere, Paulum sub exitum priorum vinculorum Romanorum, h. e. anno fere 64 exeunte litteras ad Philemonem epistolamque ad Colossenses dedisse. Tunc quidem Timotheus ille, qui apostolum paganorum in priorem captivitatem Romanam proficiscentem comitatus non est, sed epistolam tamen a Paulo ad Colossenses missam calamo videtur

---

7) Kypkius ad II Timoth. 4, 18 nonnulla Graecis ex auctoribus hausta notavit, neque ea, quae perlustrentur, indigna.

8) Videsis annales Usserii, doctissimi Ardimachae archiepiscopi, ed. Genev. pag. 641—645.

9) Cf. Viri b. „Einleitung in das Neue Testament," tom. III, part. I, p. 50.

10) Ait: „ἑτοίμαζέ μοι ξενίαν" v. 22, hospitium para, quomodo Grotius recte vertit.

excepisse [11]), admodum bene potuit esse exceptor Pauli in sede eius ipsiusque imperatoris Romana, omninoque Romae carissimo cum praeceptore consuetudine rursum coniunctus.

---

11) Si Paulus IV Coloss. 18 fatetur, *sua* se manu adscribere dicendam Colossensibus salutem, vix dubium potest esse, quin, quamvis epistolae ad Colossenses auctor sit unicus, tamen, quae locum IV Coloss. 18 praecedunt, cuiuspiam amanuensis manu perscripserit. Neque improbabilis est coniectura, ex qua Timotheus, si quando aeque atque Paulus ἐπιγραφαῖς epistolarum Paulinarum lectores earum primos salutat, is fuit, quo Paulus, epistolas concinnans, usus sit exceptore. Quam igitur Suicerus suo in epist. ad Coloss. commentario, Heumannus ad IV Coloss. 18, alii protulere ὑπόθεσιν, Timothei, qui I Coloss. 1 Colossensibus salutem dicat, manu epistolam ad eos conscriptam esse, illi ne subscriptio quidem epistolae „πρὸς Κολασσαεῖς ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης διὰ Τυχίκου καὶ Ὀνησίμου" contraria est, modo τὸ ἐγράφη iudicetur vocabulum praegnans, et hac ratione cum Bellesobrio Infantioque in „Le Nouveau Testament —" caet., tom. II, pag. 519 resolvatur: „l'épitre aux Colossiens a été écrite de Rome (id per quem factum sit, non enuntiat subscriptionis auctor, ita ut liceat de Timotheo in ea cogitetur) et envoyée par Tychique et Onesime." Editus est ab Heumanno liber: de scribis epistolarum Pauli, a. 1739. — Caeterum statuentibus nobis, Paulo fuisse difficile factu, scribere litteras Graecas, et quas sua ipsius manu scripserit, vix ac ne vix quidem legi ab aliis potuisse, mirum non erit, quod Paulus epistolas suas propemodum omnes (excipienda epistola ad Galatas, cf. VI Galat. 11) alienis manibus exaravit (XVI Roman. 22). Epistolis vero an cuncta, quae a Paulo dictata essent, curatissime et citra mendas ab aliis perscripta essent, Apostolo hoc forsan modo exploratum est, quod universa a sese dictata ab aliisque perscripta, suis et corporis et mentis oculis examinavit. Si quaeras, cur epistolis, quas exararant scribae (non semper Timotheus Pauli fuit in epistolis scribendis amanuensis; cf. initium

XVII. *Tractantur finis epistolae, argumentum et praestantia argumenti.*

Scriptionis ansa constitutus est finis ille multiplex, qui Paulo inter scribendum ob oculos versabatur. Proposita habuit: a) Θεὸν δοξάζειν pro bonis spiritualibus, quae Colossensibus largitus esset, praeterea orare Deum, ut in Christianismo Colossenses promoveret, I Coloss. 3—12; b) dicere pro testimonio, sanam esse et genuinam, quam Epaphras annuntiasset Colossensibus, doctrinam, I v. 5—7, II, 5, 6; c) superba ac theosophica Colossensium pseudapostolorum decreta nervose, et eo refutare, quod illos locos dogmaticos [12]) ac morales, qui efficerent Christianae religionis substantiam, istisque decretis oppositi essent, proponeret idque hunc in finem, ut Christiani Colossenses in doctrina vera, cuius ipse, calamitates haud respiciens, extitisset praeco, stabilirentur, ab inanibus pseudapostolorum opinionibus abstraherentur, a fraudibus eorum in praesentia atque in po-

I ep. ad Corinth.), subiecerit autographa quaepiam, ut salutationes, haec ego dixerim: habituri erant lectores epistolarum principes pignus quoddam caritatis erga se Paulinae, praeprimis vero aliquid certi, quo epistolas vere a Paulo profectas ab iis, quae per homines fraudulentos nomine Pauli in ecclesiis disseminarentur Christianis (cf. II Thessalonicens. 2, 2), ex facili possent discernere (loc. cit. 3, v. 17).

12) Exemplum eius rei tertio, qui commentationis huiusce fini a memet adiectus est, excursu, suppeditatur.

posterum tuti praestarentur I, 13 sqq., II, 9 sqq.; d) immediate, ut aiunt, exhortari Colossenses, ut caverent sibi a ψευδοδιδασκάλων erroribus praeceptisque, declinarent cuiusquemodi vitia, consectarentur virtutes, officiis, quae iniuncta iis essent, variis satisfacerent; e) communicare cum Colossensibus nonnulla hucusque iis ignota, dicere salutationes, quaeque generis eius alia sunt.

Clarius singuli fines elucebunt e sententiarum in epistola ad Colossenses occurrentium conspectu: Posita inscriptione ac salute Colossensibus adscripta plurima, Paulus gratias Deo agit perpetuos pro fide Colossensium Christiana, item caritate eorum cunctos Christianos amplexa, caelestem, quae maneat Colossenses, felicitatem spectantibus. Ait, audivisse ea de felicitate Colossenses, quum vera iis doctrina evangelica sit enuntiata, quae eadem per magnam terrarum orbis partem promulgata sit. Hanc doctrinam spirituales proferre fructus, quemadmodum hic, ita inter Colossenses, ex quo Dei iis gratia, revelata in hac recta doctrina, perspecta sit. Doctrinam vero Colossensibus ex Epaphra esse perceptam, dilecto Pauli in evangelio propagando collega, et qui idem, Colossensibus evangelium annuntians, Christo fideliter serviat. Innotuisse sibi per Epaphram spiritualem, quam Colossenses in Paulum habeant, benivolentiam (I Coloss. v. 1 — 8). Qua

quidem cognita, adire sese Deum non cessantibus precibus, ut Colossenses abunde divinae voluntatis cognitione instruantur, quae sit copulata cum permagna practica sapientia, et theoretica tali religionis Christianae scientia, quam spiritus sanctus produxerit: ita vero (sc. instruantur), ut vitam praeceptis Domini consentaneam, maximeque Domino acceptam agant, quaevis rectefacta edant, progressus in cognitione Dei habeant; precari se (Paulum) Deum, ut per illustrem Dei potentiam Colossenses viribus omnibus confirmentur, quo possint inter aerumnas constantes in religione Christiana esse, illasque patienter adeoque cum gaudio tolerare; ad postremum, ut Colossenses gratias agant Deo, quo auctore facti sint idonei ad beati eius regni consortium, cuius Deo consecrati homines cives sint (v. 9—12). Pergit epistolae auctor apostolicus hac ratione: (Deo agendae gratiae sunt), utpote qui Christianos nos ex tenebricoso regno et infelici transtulerit in regnum, cuius Dominus est filius Dei carissimus. Et huic quidem filio liberationem ab imperio peccatorum ac poenis debemus. Idem est imago eius Dei, qui cerni nequit, est a Deo ante res creatas universas genitus. Per filium cuncta, quae continentur mundo, quae oculis usurpari possunt, quaeque minus, veluti angeli ordinis cuiuslibet, creata sunt, honori filii Dei servitura; per eundem omnia conservantur.

Ad haec filius est caput spiritualis sui corporis seu ecclesiae Christianae; nempe e mortuis primus in vitam est restitutus, ut inter mortales, qui crederent in ipsum, omnes teneret primas. Etenim Deo visum est, cunctam multitudinem fidelium artissimis cum Dei filio vinculis copulari, praeterea per eum homines secum omnes reconciliare: Deo inquam, qui et sanguine, a Christo in cruce effuso, inter caelestes spiritus mortalesque in tellure versantes effecit reconciliationem (v. 13—20). Vos quoque, qui aliquando essetis a vero Deo abalienati, vestraque animi intentione, in impiis factis conspicua, dissideretis, Christus nunc eo, quod corpus suum morte absumi passus est, cum Deo reconciliavit, vos in oculis Dei sanctos neque culpandos exhibiturus: dummodo in fide Iesu tanquam Messiae adhibita firmi constantesque permaneatis, nec vos sinatis ab aeternae salutis spe removeri, quam evangelium vobis instillavit; evangelium illud, quod vobis ex Epaphra auditum, sed etiam permultis in terra degentibus creaturis rationalibus praedicatum est, et cuius ego praeco constitutus sum (v. 21—23). Nunc adeo rebus adversis, quibus pro evangelio, vobis ut paganis vulgato, afflictus sum, gaudeo, et suppleo, quidquid me adhuc deficit adversarum rerum, propter Christi rem et in commoda ecclesiae Christianae meo mihi corpore exanclandarum. Ecclesiae ego minister

secundum munus illud praestatus sum, quod vestri respectu mihi est a Deo demandatum, quodque eo nimirum pertinet, ut divinum evulgem evangelium, singulatim Dei de cunctis hominibus per Christum salvandis consilium arcanum, quod inde ab antiquissimis temporibus occultum fuit, iam vero hominibus Deo dicatis est revelatum. His voluit Deus innotescere, ad quem amplum splendidumque inter paganas nationes effectum adducatur illud consilium, hactenus in Deo absconditum: idque eo talem ad exitum pervenit, quod Christus vobiscum iunctus est, (quod Christus is est, cui fidem praebeatis,) Christus ille, qui spem quoque vestram, vos olim beatitudinem sempiternam consequuturos, spiritus sui vi produxit. Christi doctrinam nuntio generi humano, quemcunque mortalem tum ad fugiendos errores hortans, tum universam religionem Christianam, quae vera est sapientia, docens, quo hominem quemcunque in cognitione religionis Christianae perfectum reddam. Hoc ego enitor ex potentia Christi, quae in me videlicet vehementer sese efficacem praebet (v. 24 — 29). Aperit Paulus capite secundo: scire vos velim, quanta teneat me vestri, LaodicensiumChristianorum, omniumque fidelium, quotquot nondum faciem meam corpoream aspexere, cura; quae quidem huc spectat, ut firmentur ipsi in fide, copulentur in Christiana caritate, denique ad copiosissimam

consummatamque cognitionem Christianae doctrinae perveniant, speciatim ad intelligentiam absconditi illius, quod cepit Deus, decreti, quo omnes et practicae sapientiae et theoreticae thesauri continentur occulti. Memoro autem id ipsum, ne falsus quis doctor accommodata ad persuadendum oratione vos fallat. Ego licet qua corpus a vobis remotus sim, animo sum praesens, nec video sine gaudio rectum, quo apud vos omnia administrantur, ordinem ac firmam vestram fidem in Messianam Iesu dignitatem. Iam quemadmodum ex Epaphra doctrinam de Iesu Messia Dominoque didicistis, ita vitam ad illam degite, in hac doctrina fixi, hac nisi. Constantes estote in vera, quomodo ab Epaphra praedicata vobis est, fide, progressus in ea facite, Deo pro evangelica, vobiscum communicata doctrina gratias habentes (II, 1—8). Cavete, ne vos quis suos faciat vana videlicet theosophia caet. [15]). Omnis namque ecclesia Christiana, quam condidit Deus, iuncta est cum Christo, ut corpus spirituale. Et vos in ecclesiam per Christum, quorumvis ordinum spirituum superiorum caput, recepti estis. Per eundem spiritualiter estis circumcisi caet. [15]).

---

15) Versiculos, quibus pseudapostolorum indoles ac doctrina depinguntur, quos explicui supra atque in sermonem latinum transtuli, in argumento epistolae generalius exponendo rursum vertere *totos*, ἀναγκαῖον non videtur.

Sicuti Christus φυσικῶς mortuus est et sepultus, ita vos in baptismo sepulti estis (pravam mentem peccataque deposuistis); quemadmodum Christus in vitam novam eandemque naturalem restitutus est, sic vos in novam vitam moralem collocata in Christo fide, quam produxit idem Deus, qui Christum e mortuis in vitam revocavit. Vos, spiritualiter mortuos, quum in peccatis, illoque praeputio, quod ipsa in pravitate consistit, versaremini, vos moralem in vitam excitavit Deus, quomodo Christum in naturalem restituit, Deus inquam, qui vobis vestrorum peccatorum omnium veniam dedit, qui chirographum e praescriptis compositum (legem Mosaicam) et nobis, quoad nos ceu peccatores condemnaret, contrarium abolevit, de medio sustulit, cruci affixit, postremo, qui variarum classium cacodaemones potestate exuit (potentiam eorum fregit), palamque exposuit ignominiae, triumphum de iis per filium suum agens (v. 8—15). Ne damnet vos quispiam ob certos quosdam cibos potusve adhibitos, propterve non celebratos dies aliquos festos Mosaicos; etenim ea sunt typi rerum futurarum spiritualium, ipsae res in religione Christiana exhibentur. Cavete, ne praerogativas, ab hac religione vobis suppeditatas intervertat vobis quidam, fucata humilitate oblectatus caet., temere elatus prava sua mente, neque ecclesiae Christianae capiti adhaerens, Christo, quo au-

ctore ecclesia omnis, adiuta a singulis suis membris et contenta, talia habet in fide et caritate incrementa, quae placeant Deo. Quodsi uti Christus a corpore mortuus est, sic vos imperfectae religioni Iudaicae mortui estis, quid est causae, cur ascetica placita Mosaica amplectamini ac pronuntietis, quasi vero religioni isti imperfectae adhuc addicti rel. (v. 16—23). Quum igitur, quemadmodum Christus resurrexit physice, ita vos sitis in novam vitam spiritualem restituti, appetite, quae sunt in caelis, ubi Deo dexter assidet Christus. Cogitate ad superna, non ad terrestria. Terrestribus quippe mortui estis, vitaque Vestra vera pariter atque Christus hominibus abscondita est, scilicet in Deo radicibus suis infixa. Quando Christus vero, auctor vitalis nostrae vitae, denuo apparuerit tanquam mundi iudex, tunc vos quoque, donati salute sempiterna, hominibus aeque atque Christus conspicui evadetis (III, 1 — 4). — Supprimite cupiditates vestras et perturbationes animi, fornicationem, immunditiem, libidinem, alia, quorum causa mortales increduli a Deo puniuntur, quibusque vos iam olim, quum essetis increduli, dediti plane fuistis. Deponite vos, quum non amplius sitis increduli, iram, excandescentiam, malitiam, vitia caetera, quin omnem naturam vestram veterem depravatamque simul cum actionibus, quibus fit manifesta. Induite novam indolem, quae semper

proficiat in Dei cognitione, et eius, qui creavit eam, fiat similior; novam hanc si spectes indolem, discriminis intercedit nihil inter paganum et Iudaeum, inter barbarum hominem summeque barbarum, servum et ingenuum: immo debet in iis omnibus nova indoles Christiana oboriri, perque omnes pertingere (v. 5 — 11). Iam vero vos, quos ad salutem aeternam selegit Deus, quos diligit, induite misericordiam intimam, comitatem, humilitatem, mansuetudinem, patientiam, sic, ut vos invicem toleretis, mutuoque condonetis vobis, si cui ratio sit habendarum super altero querelarum, quemadmodum et Christus vestra vobis peccata remisit. Ante omnia caritatem Christianam consectamini, qua continetur Christiana perfectio! Paxque cum Deo illa, cuius fons est Christus, ad quam evangelio vocati estis, unum corpus morale effecturi, dominetur in vobis, proque ea gratias Deo referte (v. 12 — 15). Sic perseveret apud vos Christiana doctrina, ut veram inde plurimamque capiatis sapientiam practicam; ubi in unum estis congregati, instituite vos, atque ad vitam piam sanctamque variis canticis, et iis sanctos sensus spirantibus, excitate. Deo cantate pectore toto, animoque pro beneficiis Dei grato. Quodcunque agitis, seu loquamini quid, seu faciatis, agite ea mente, quae in Iesu Domino est; in Deum eundemque vestrum patrem pro redemtione ac salute vobis tributa ita grati

estote, ut ad eum per Iesum accedatis (16, 17). — Uxores obedite vestris maritis, uti cultrices Domini decet. Mariti uxores amate, neque estote immites in eas. Liberi praestate vos parentibus quoad omnia morigeros; utpote quod arrideat Christo. Patres, nolite liberos tractatione irritare duriori, ut ne spem abiiciant, se vobis unquam placituros. Servi, obsequiosos in omnibus praebete vos iis, qui ab externis rationibus domini vestri sunt, neque vero ad hunc modum, ut eorum oculis ministeria exhibeatis, tanquam homines placere heris studentes; obtemperate potius candido animo, Christi reverentes. Quaecunque agitis, libenter (ἐκ προθυμίας) facite, ut Domino etiam servientes, neque mortalibus solum, probe scientes, accepturos vos a Christo pro ministeriis, Christo quoque a vobis exhibitis, praemium, quod in salute aeterna cernatur. At servus, qui hero fecerit iniuriam, mercedem eius rei a Christo feret; haud obtinet apud Christum studium aliquod partium, (ut servum, quia forsan pauper sit, nullus puniat). Domini, quod iustum est et aequum servis date; et vos habere in caelis Dominum non nescii [14]) (III, 18—IV, 1).

Precibus ad Deum fundendis instate, non sine gratiis pro beneficiis, quae a Deo tulistis,

---

14) Inconsiderate fecit Hugo Carensis, qui, dum capitibus litteras Colossensibus scriptas distinguit, locum IV Coloss. 1 a proxime antegressis divelleret.

ei dicendis. Rogate etiam Deum, ut occasionem mihi praebeat, divinam praedicandi doctrinam, singulatim arcanum, quod concepit Deus de mortalibus omnibus per Christum beandis decretum, quod quoniam annuntiassem, vinculis sum constrictus. Orate, ut enuntiem libère, quomodo necessum est me enuntiare. Cum hominibus non Christianis sapienter versamini, utimini tempore, eos ad Iesum Messiam perducere, opportuno. Esto sermo vester humanitate plenus, sapientiae sale conditus. Quomodo sit unicuique respondendum, scitote (v. 2—6). — Ad me quae pertinent, vobiscum communicabit Tychicus rel., quem istuc mitto hac quoque mente, ut cognoscat, vestrae res qua sese habeant ratione, item animos vestros in fide corroboret. Mitto cum Onesimo, qui mihi iam fidus est et carus in Christo frater, vestro ex oppido oriundus. Mei respectu quae Romae agantur, ambo vobis narrabunt. Salutat vos Aristarchus, consors meae captivitatis, Marcus Barnabae consobrinus, super quo mandata tulistis; quando vos convenerit, benigne accipite, item Iesus, Romano cognomento iustus, qui quidem ab origine Iudaei sunt: ii solummodo fuerunt mihi in doctrina de regno Dei nuntianda adiutores, eoque solatio. Salutat vos Epaphras popularis vester, Christi cultor caet., quem testor magno in vos, Laodicenos, Hierapolitanos studio ferri. Salutat vos

Lucas, medicus mihi dilectus caet. Salutate fratres Laodicenos, imprimis Nympham, eamque, quae in domo eius congregatur, ecclesiam. Hae litterae, ubi in coetu vestro recitatae fuerint, ut in Laodicensi quoque legantur, facite caet. Domini gratia semper sit vobiscum! ita fiat!

Praeloquio epistolae ad Colossenses suo Grotius haud immerito: „omnes epistolae Pauli egregiae sunt; sed omnium imprimis, quae Romae ex vinculis missae sunt." Litterae ad Colossenses, succinctae licet sint, iure tamen Calvino Magno incomparabilis nominantur thesaurus. Quod Origenes commentar. in Matthaeum pag. 223 dixit de epistola Iudae conscripta, esse „πεπληρωμένην — τῶν τῆς ἐπουρανίου χάριτος λόγων", id in nostram quoque multoque forsan magis cadit. Et λόγοι, quos habet epistola ad Colossenses, nucleum nucis (evangelicae) constituunt. Sistitur historicus et vivus Christus [15]) ante lectorum oculos, describitur ut filius Dei unaque homo, ut is, qui mortalibus sapientiae, redemtionis, iustitiae gratuitae, intimae cum Deo et in universum cum invisibili mundo communionis fons [16]), ne multa! cunctae salutis

---

15) Doctrina de Christo ipsa illud erat σπέρμα θεῖον, quod ut Colossensibus impertiretur, summe necessarium fuit.

16) Herrmannus Witsius ait in meletematibus Leidensib.: „quod ad evangelii mysteria attinet, enimvero hic

auctor exstitit. Dixerim epistolam commentarium pulcherrimae eius vocis, quam Paulus I Corinth. 1, 30 est proloquutus. Hinc sequitur, in rebus ad religionem pertinentibus anquirendum esse retinendumque Christum Iesum simul cum doctrina eius simplici; in constantissima Iesu Christi fide, sanctam per vitam se exserente, conquiescendum, ita ut homines Christiani non consectentur quandam altiorem Christianismo theosophiam [17]), neque angustiorem asceticen

---

(Paulus est intelligendus) fuit velut aquila in nubibus, neque meritis cuiusquam laudibus detractum iri existimo, si quis arbitretur, in omni prophetarum atque apostolorum choro paucos admodum rerum divinarum scientia pares Paulo fuisse, superiorem fortasse neminem." Idem apostolus *Σάλπιγξ τῶν οὐρανῶν* appellatur apud Chrysostomum.

17) B. Kleukerus in libro, qui inscribitur: „ausführliche Untersuchung der Gründe für die Aechtheit und Glaubwürdigkeit des Christenthums," tom. III, pag. 144, 145: „Was würde, inquit, — aus der Lehre des Christenthums, die für alle Klassen von Menschen und für alle Verhältnisse bestimmt war, geworden seyn, wenn sie gleich anfangs in dem Gespinnst jener sogenannten Weisheitslehrer (abs quibus nimirum Colossensis quoque coetus Christianus vexabatur) sich verloren hätte! Wie ein Traum, wie ein vorübergehendes Schattenbild wäre sie aus der Welt auf immer verschwunden. — Es gehörte aber der freie unaufhaltsam wirkende Geist dieses Apostels (scil. Pauli) dazu, um durch Lehre und Warnung jenem im Finstern schleichenden Verderben mit der ihm eigenen Wachsamkeit — und Entschlossenheit entgegen zu arbeiten. So lange er lebte, that er dieß; und wenn gleich seine Laufbahn kurz war, so war die Lehre des Lebens doch da, und durch ihn so mannigfaltig und so weit verbreitet worden. Jeder mochte nun seine Kräfte versuchen, sein Herz danach prüfen, — sie mit seinen Bedürfnissen vergleichen. — Dieß ist auch geschehen, und die verschiedensten Früchte, gute und schädliche, sind daraus erwachsen" caet.

Mosaicam, ac si unicus iis Christus non satis esse queat. Epistola Colossensibus perscripta in Paulinarum earum numero reponenda, quae rerum, quibus repletae sunt, sublimitate divinaque sua indole comprobant, Paulum ἀληθῶς fuisse θεοδίδακτον. Nostrarum aliarumque Paulinarum ratione Paulus potuit a Chrysostomo (homil. XLVII, tom. V, pag. 317 dici: „φῶς τῶν ἐκκλησιῶν, θεμέλιος τῆς πίστεως, στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας."

XVIII. *De Οἰκονομίᾳ epistolae.*

Sicuti epistolae Pauli multae, ita quae ad Colossenses data est, commode in partes duas dividi potest. Una est theoretica seu polemico-didactica i. e. dogmaticas praecipue complectitur doctrinas, praeterea pseudodoctorum refutationes, continetur I, II capitibus. Alteram nominaverim practicam seu paraeneticam, quatenus morales potissimum tenet cohortationes, inest capitibus III, IV. Non autem infitiandum, inveniri etiam prioribus duobus capitibus paraenetica quaedam, certeque religiosos sensus attingentia cf. II Coloss. 6, 8; I, v. 3 sqq., altera ex parte caput exhibere tertium v. 1, 4, 11 nonnulla διδακτικά. Universim Novum Instrumentum contemplanti haud paucae deprehendentur epistolae, quibus paraenetica sic sint didacticis intermista, ut illa ex his derivata

sint [18]). Non excipienda epistola ad Hebraeos missa.

XIX. *Super stylo, quo epistola est perscripta.*

Id egit Paulus, ut Christus, per quem Christianam ad ecclesiam conversus esset, *πάντα* fieret *ἐν πᾶσι*, egit evangelica doctrina simpliciter, *οὐ καθ' ὑπεροχὴν λόγου* (I Corinth. 2, 1), non ornato genere dicendi [19]) promulganda. Tantum abfuit, ut *λογοδαίδαλος* esset, ut concederet II Corinth. 11, 6, esse se *ἰδιώτην τῷ λόγῳ* h. e. imperitum artis, orationes habendi comptas et rhetoricas. Hieronymus: „illud, quod crebro diximus: „„etsi imperitus sermone, non tamen scientia,"" nequaquam de humilitate, sed de conscientiae veritate dixisse (sc. Paulum), etiamnunc approbamus." Igitur non mirum, ubi occurrunt in epistola ad Colossenses data dictiones haud artificiosae impolitaeque, Hebraismi (Paulus Iudaeam theologiam ad Gamalielis pedes edoctus erat), verborum relationes non statim perspicuae [20]), anacolutha fre-

---

18) Lutherus operib. Ien. tom. IV, fol. 165 rectissime: „necessarium est, ut pii doctores tam diligenter urgeant doctrinam de bonis operibus, quam doctrinam de fide."

19) Etiam I Corinth. 2, 4 declarat, doctrinam suam non istiusmodi verbis, quae ad persuadendum apta sint, humanaeque usurpentur sapientiae, efficacem esse, verum eo, quod vim suam divinam in animis humanis exerceat.

20) Convenit mihi cum Heideggero, in enchiridio biblico lib. III, cap. VIII, § 12 dicente: „periculum nullum est,

quentia, implicitae complexiones verborum [21]), externus sententiarum saltus, quamquam cohaesione earum interna non deficiente *), et quae alia rhetorices regulas produnt neglectas. In universum multo magis ideas curat Paulus, quam, quibus ideae exprimantur vocabula: estque hoc nomine ab auctoribus classicis diversus, utpote quibus proinde orationis forma atque ideae cordi sint. — Fuit porro in Paulo fervens animus, fortis, virilis, isque gratia divina, quae Saulum in καινὴν aliquam κτίσιν immutaverat, non abolitus erat, sed purus, sanctus praestatus. Unde in epistola ad Colossenses adeo multa, ut caelestium rerum expositio,

---

ne Paulus non intelligatur ab iis, qui se spiritui sancto dociles praebent, et sermonis iustitiae non prorsus sunt imperiti" rel. Si legitur II Petr. 3, 16, esse in epistolis Pauli δυσνόητά τινα, capiendum ita: in doctrinis Pauli (quas habeas in epistolis) nonnullas, quum sublimiores sint, quumque captus humanus imbecillior, difficiles esse perceptu.

21) Eusebius IV histor. ecclesiast. 29: „dicunt (φασί), inquit, Tatianum (fuit Encratitarum caput) sustinuisse, apostoli (id est Pauli) dicta in puriora, elegantiora transferre vocabula, hominemque talem extitisse, qui voluerit Paulinam compositionem verborum emendare." Quod quidem opus, si est Tatiano perfectum, nostris temporibus relictum non est.

*) „Es mag wohl nichts so getrennt seyn, daß es nicht irgend eine Spur des Zusammenhanges, der Wechselbeziehung, entdecken ließe." Ità de Buquoy im Vorworte p. VI, operis: Anregungen für philosophisch-wissenschaftliche Forschung und dichterische Begeisterung, Leipz. 1825.

ut pseudodoctorum confutatio, viva, pressa [22]), solida, nervis plena [23]), mascula, praepotentia. Lingua utitur Paulus grandi, hic illic plena maiestatis, linguam, saltim ex parte, ipse sibi formaverat, *τὰ ὑπερβάλλοντα*, quae in ipso erant, significaturam. Obviae in epistola sunt hae dicendi formulae quasi peculiares Paulo, neque omnes proprie Graecae: *σῶμα τῆς σαρκὸς*, *ἀπεκδύνεσθαι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον*, *ἐνδύνεσθαι τὸν νεὸν*, *συνθάπτεσθαι Χριστῷ*, *συνεγείρεσθαι αὐτῷ*, aliae. Probe in annotationibus ad Novum Testamentum Erasmus: „tonat, fulgurat, meras flammas loquitur Paulus." — Ille autem apostolus, abs quo caritatis Christianae excellentia I Corinth. 13 docetur adeo magnifice, quemadmodum rectam in Messiam Iesum fidem, sic amorem in Deum Christumque et fratres Christianos intimum habebat. Ex quo alloquitur Colossenses affectu paterno, non molli at comi tamen oratione ad erronea ac vitiosa fugienda, ad amplexanda vere Christiana sanctaque studet adducere; ostendit, quantopere salutem curet Colossensium, apprecatur quaevis bona, ut mas-

cu-

---

22) Vere ait Stephanus Gaussenus in dissertat. theologici: „ea est in tota sententia (sc. Pauli) brevitas, is rerum cumulus, ut *γυμναστικωτέρα* illa *ἀγχίνοια*, et subactum ingenium, quod in lectore Aristotelis Simplicius requirit, praecipue in Pauli accurata lectione requiratur."

23) Christiani Iudaizantes Corinthi, qui Paulo adversabantur, confessi secundum II Corinth. 10, 10 sunt, Pauli epistolas esse *ἰσχυρὰς* graves, efficaces.

cula Pauli erga Colossenses dilectio non possit non agnosci: licet repugnem Castalioni nullus, contendenti, epistolam ad Philippenses prae caeteris patheticam esse, paternisque affectibus refertam. Equidem, quomodo Ioannes Augustus Ernestius Ioanneum evangelium pectus Christi nuncupavit, sic epistolam ad Philippenses Pauli pectus dixerim. — Sive Paulus forte [24]) loquendi genus adhibet in epistola ad Colossenses (plura elliptice dicta sunt, ut subintelligendae sint sententiae), ut Ioannes Baptista, sive lene, ut apostolus Ioannes, utrumque quam accommodatissime usurpat; in iis, quae profert, omnibus rem spectat, finemque sibi propositum persequitur [25]), *αἰχμαλωτίσαν πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ.* Suffragor ego Augustino, quem constat docuisse aliquando rhetoricen, IV lib. de doctrina Christiana cap. 7 proloquenti: „Sicut apostolum praecepta eloquentiae sequutum esse non dicimus, ita, quod eius sapientiam sequuta sit eloquentia, non negamus." Promanat apostoli facundia e sanctis

---

24) Ab Eusebio III lib. histor. ecclesiast. vocatur Paulus „*πάντων* (scil. apostolorum) *ἐν παρασκευῇ λόγων δυνατώτατος, νοήμασί τε ἱκανώτατος γεγονώς.*"

25) Legitur apud Schroeckhium tom. XXXV, pag. [illegible] historiae ecclesiae: „Der Philosoph Locke gestand, keinen so zusammenhängenden, genau schließenden und stets seinen Zweck vor Augen behaltenden Schriftsteller gefunden zu haben, als diesen Apostel" (sc. Paulum).

illius affectibus, intentione animi Christiana, pietate adversus Deum remque, quam promoturus erat, divinam. Cernitur Pauli facundia si minus solum, at praecipue certe in ampla copia [26]) et flumine veloci altarum ac novarum sententiarum, quae moveant lectorum animos, aculeumque reapse in iis relinquant. Eloquentia [27]) Paulina spiritus est et vita. Et hanc talem eloquentiam apostolico gentilium doctore dignissimam fuisse, ecquis infitias ibit?

Quod defendit inclytus Buffonius, posse in stylo cognosci totum hominem, id in Paulum quoque quadrat, cuius stylus neque alios ad scriptores compositus est [28]), neque negotio facili ab alio quopiam imitando effingi potest.

---

26) In commentario suo pag. 57 ait Dr. Iunkerus: „oft ist er (scil. Paulus), besonders im Flusse der Rede und im heftigen Bekämpfen der Gegner, schwülstig und gesucht." Id neque probatum est a Viro docto, neque omnino potest probari.

27) Patet ex XV Act. 12 incolas Lystrae, oppidi in Lycaonia siti, paganos Paulum appellasse Mercurium, quem facundiae inter mortales auctorem ethnici iudicarent. At pectus facit disertos!

28) Loco de stylo Paulino haec ego censeo subiicienda. Cornelius Lapidensis argumento in epistolas sancti Pauli suo pag. 22 ait: „multa verba usurpat Paulus iuxta phrasin et morem provinciae suae, puta Tarsi et Ciliciae; erat enim ipse Tarsensis et Cilix. — Sic ad Coloss. 2, 18, usus est verbo καταβραβεύειν, quod lingua Tarsensium significat insidiose alteri palmam praeripere, ut annotavit S. Hieron. epist. 151 ad Algas." Hieronymus autem monet, ne miremur in „apostolo, si utatur eius linguae consuetudine, in qua natus est et nutritus, quum Virgilius, alter Homerus,

XX. *In originalem, quem vocant, sermonem epistolae inquiritur.*

Bertholdtius in der historisch-kritischen Einleitung in sämmtliche Schriften des Alten und Neuen Testamentes, tom. VI, § 741: „Da Paulus, inquit, den zu gleicher Zeit (scil. cum epistola ad Colossenses) geschriebenen sogenannten Brief an die Epheser, wie oben erwiesen worden ist, in aramäischer Sprache entworfen hat, so läßt sich voraussetzen, daß Paulus auch diesen besonderen Brief an die Colosser aramäisch niedergeschrieben und durch einen Hermeneuten in das Griechische hat übersetzen lassen —. Da Timotheus im Eingange des Briefes neben Paulus genannt ist, so ist es glaublich, daß er die Urschrift Pauli in ein griechisches Gewand geworfen hat." Litteras fere ad Ephesios inscriptas, exaratas ab initio esse aramaice, Bertholdtius iis utique rationibus, quas in excitato opere § 640 exposuit, mihi non persuasit. Nempe, quae ex epistola ad Ephesios data Bertholdtius ac Boltenius [29]) putant peccata, in litteris ad Ephesios ex lingua Aramaica in

---

apud nos, patriae suae (sc. Virgilius fuit Mantuanus) sequens consuetudinem, sceleratum (i. e. atrox) frigus appellet." At Paulum Cilicismis, ut aiunt, usum, extra dubitationem positum non est. Legitur saltem verbum καταβραβεύειν apud Demosthenem advers. Midiam: „ἐπιστάμεθα, Στράτωνα (eius scil. defensor Demosthenes fuit) ὑπὸ Μειδίου καταβραβευθέντα, καὶ παρὰ πάντα τὰ δίκαια ἀτιμωθέντα." Cf. Loesnerum ac Krebsium ad II Coloss. 18.

29) In tom. II der Uebersetzung der neutestamentl. Briefe, p. XXIX praeloquii.

Graecam convertendis admissa, ut vocabulum ῥυτίδα V Ephes. 27, ut παροργίζετε VI, 4, ut ἐν ῥήματι ἵνα V Ephes. 26, haec ego iudico Aramaicis quidem respondere verbis, eademque mihi videtur ratio quorundam, quae canonicis in evangeliis occursant, verborum [30]); at propter verba ista sumere, epistolam ad Ephesios translatam ex Aramaico esse in Graecum sermonem, nonne quaeso est ad arbitrium agere? Sententia autem, secundum quam epistola Colossensibus scripta ex autographo Aramaico in Graecum versa per ἑρμηνευτὴν est, vel ea re improbanda, quia, quod Bertholdtius ipse § 741 fatetur, „sich in dem griechischen Texte keine Uebersetzungsfehler wahrnehmen lassen." Necdum firmis evictum argumentis est, Timotheum, quem Minori in Asia offendit Paulus, et cuius pater Ἕλλην extitit, tantam Aramaicae seu Syrochaldaicae linguae, quae imprimis Iudaeis Palaestinensibus in ore esset, tenuisse scientiam, ut ἑρμηνευτὴν Pauli exhibere sese potuerit. Rationes, quibus clarius fit, concinnasse Paulum epistolam ad Colossenses Graeco sermone, gravissimae sunt fere hae: Qui ex gentilibus ad fidem in Iesum Messiam perducti erant Colossenses, cum lacte nutricis Graecam linguam imbiberant; nec vero praetermittendum, Phrygias, quae aetatem tulere,

---

30) Inspice valde subtilis Dr. Wineri Grammatik des Neutestamentl. Sprachidioms, edit. II, p. 25.

onetas Graece inscriptas esse. Etiam Iudaeo-ristiani, quos Colossis reperires, Graecum ne dubio sermonem callebant, quum Graece quentibus familiariter, ut verisimile est, erentur, quumque, quomodo est apud Hiero-mum prolegomenis commentarii in epistolam Galatas: „sermone Graeco omnis oriens lo-ueretur", et, ut Ciceronis pro Archia oratio-em respiciam, „Graeca legerentur in omni-us ferme gentibus." Postremo habuisse Pau-m linguam Graecam cognitam, is non nega-t, qui reputaverit a) inter Iudaeos, in quibus aulus ante susceptum apostolatum fuit, ver-onem Veteris Instrumenti septuagintaviralem sacris publicis recitatam, scientiamque Grae-e linguae isto modo propagatam esse; b) Pau-apostolo adeo frequentem fuisse consuetudi-m cum Iudaeis et Graecis et Romanis Graece quentibus [31]), ut inde iam posset Graecae lin-

51) Dr. de Wettius in „Lehrbuch der Einleitung in die Bibel" et. tom. II, § 1: „die griechische Sprache, inquit, war da-ls in der ganzen gesitteten Welt verbreitet und herrschte sogar mehreren Städten Palästinas." Cf. locos, quos S. V. Vir, m illud probaret, ex Iosepho laudavit, praeterea S. V. igii Einleitung in die Schriften des N. T. ed. II, tom. II, g. 29—51. Vox est Simeonis Rabbini: libros nonnisi raeca lingua parare Iudaeis permissum. Eademque Philo que Iosephus, primo p. Chr. n. saeculo florentes, libros os composuerunt. Romanos quod attinet, Marcus Tullius istolis ad Atticum, Imperator Augustus (vide vitam Claudii aesaris cap. 4, a Suetonio descriptam) epistolis, quas Li-ae dedit, sic usurpabant Latinum sermonem, ut verba

guae cognitionem haurire; c) in monumentis antiquitatis Christianae non inveniri, Paulum aeque ut Petrum, qui Syrochaldaicum sermonem melius sciret Graeco, ἑρμηνευτὴν quendam instar comitis habuisse, quo auctore, quidquid Paulus Syrochaldaice enuntiasset, translatum sit in linguam Graecam. Ita dubium mihi non est, quin Paulus litteras, de quibus agitur, Graece confecerit [32]).

XXI. *Tractatur similitudo, epistolae Colossensibus missae cum catholica illa, quam ad Ephesios praescriptam habemus, intercedens.*

Saepenumero non βιαίως conspirant ambae epistolae in singulis et vocabulis et formulis dicendi, in utraque longiores et eas implexas continuationes verborum, item stylum hic ibi excelsum reperias. Quod autem in sententiis etiam βαθυτέραις καὶ ὑψηλοτέραις, quibus fervida Pauli indoles tam manifeste proditur,

---

Graeca admiscerent. Suetonio auctore (cf. vitam Claudii cap. 42) Claudius multum — pro tribunali etiam, Homericis loquutus est versibus, — et Graecas scripsit historias Τυῤῥηνικῶν XX, Καρχηδονιακῶν VIII. Iuvenalis denique ait: „nunc totus Graias habet orbis Athenas."

52) Ecclesiis apostolici aevi Christianis Graece loquentibus, saltem Graece scripta intelligentibus, magna in eo apparet sapientia divina, quod totius ecclesiae Dominus epistolas ecclesiis illis datas Graeco sermone conscribendas curavit.

(Graeca sunt Theophylacti) consentiunt ambae, praeprimis memoratu dignum. Crebro sane, ut dixi, quae epistola ad Colossenses attinguntur Christianae religionis partes, epistola Ephesiis dicata exponuntur copiosius et abundanter [33]), quamquam equidem „einen gedankenleeren Wortreichthum", quem doctissimus de Wettius in hac epistola deprehendere sibi videtur [34]), nullus ibi animadverto; a tali quidem apostolus paganorum, ita magno ingenio praeditus, semper abhorret. Rursus sunt, quae fusius Paulo disputentur in epistola ad Colossenses, quam in litteris ad Ephesios: veniunt in hunc censum primo doctrinae de divina Iesu Christi dignitate efficaciaque, ac de Mose cum Christo nihil permiscendo, deinde varia, quae Paulum ipsum attingunt, tum perversa theosophorum placita al. Unde potest epistola ad Colossenses in exegesi encyclicarum earum, queis cognata est, litterarum non citra emolumenta adhiberi, cf. IV Coloss. 16: et agit praeclare, quicunque

---

33) Bellesobrius et Infantius in „préface sur l'épitre de S. Paul aux Colossiens" arbitrantur, epistolam hancce esse „comme l'abrégé" epistolae ad Ephesios. Iidem in „préface sur l'épitre — aux Ephesiens:" „Cette épitre (sc. ad Ephesios), inquiunt, est sans contredit un des plus beaux Livres de l'Ecriture; toute la religion Chrétienne y est enseignée en abrégé."

34) Videsis, quae contra monet acute Prof. Guerike, Vir eruditus, pag. 109, 110 libri, qui inscribitur: Beiträge zur historisch-kritischen Einleitung ins N. T. Halle, 1828.

verbum Dei ex verbo Dei enarrat. Interdum par quoque singularum sententiarum cohaesio obvia fit. Quae de affinitate epistolae utriusque hactenus allata nobis sunt, ea in dubium non vocabuntur, dummodo conferantur I Coloss. 1, 2 et I Ephes. 1, 2; I Col. 3, 4, 9, 11 et I Eph. 15—19, III, 16; I Col. 10 et IV Eph. 1; I Col. 11 et VI Eph. 10—17; I Col. 14 et I Eph. 7; I Col. 16 et III Eph. 9; I Col. 18, 19 et V Eph. 23, I Eph. 22, 23; I Col. 20 et I Eph. 10, II, 16; I Col. 24—28 et III Eph. 1—9; II Col. 12, 13 et II Eph. 1—5; II Col. 14 et II Eph. 15; II Col. 19 et IV Eph. 15, 16; III Col. 5, 6, 8 et V Eph. 3—6, IV Eph. 26, 29, 31; III Col. 9, 10 et IV Eph. 22—25; III Col. 12, 13 et IV Eph. 32, 2; III Col. 16, 17 et V Eph. 19, 20; III Col. 18 et V Eph. 22—24; III Col. 19 et V Eph. 25—33; III Col. 20 et VI Eph. 1—3; III Col. 21 et VI Eph. 4; III Col. 22—25 et VI Eph. 5—8; IV Col. 1 et VI Eph. 9; IV Col. 2—4 et VI Eph. 18—20; IV Col. 5 et V Eph. 15—17; IV Col. 6 et IV Eph. 29; IV Col. 7, 8 et VI Eph. 21, 22.

Investigaturis igitur nobis cognationis eius, quae est inter ambas epistolas, notabilis rationem, occurrit Cornelius a Lapide, ὑπόθεσιν proloquens eam, forsan relegisse Paulum epistolam suam ad Ephesios datam, ex eaque hanc ad Colossenses dictasse, cf. Cornelii commentarium in epist. ad Coloss., argumenti notam quar-

tam. At vero parum verosimile est, apostolum illum, qui unus omnium apostolorum abundantissimus sententiis esset, tam mechanice (si barbare loqui licitum) aliquam epistolam concinnasse. Ad hoc si dictasset Paulus epistolam Colossensibus datam ex epistola ad Ephesios, non iam quantumvis magna similitudo, verum consummata sententiarum, verborum, omnis formae in utraque epistola inveniretur ἰσότης, quae nulla invenitur. Apte ita explicatur epistolarum ambarum affinitas [55]), si ponitur, eas iisdem esse prioribus vinculis Romanis Pauli, eadem unius anni parte, unoque impetu contextas: de epistola ea catholica, quam ad Ephesios inscripsere, haud pauca haeserunt in Pauli memoria, et haec, quum epistola ad Colossenses Paulo conficiebatur, tanto in ea facilius collocari quiverunt, quanto maiorem convenientiam nonnullae, in quibus Colossenses versabantur, περιστάσεις cum περιστάσεσι nonnullis istorum Ethnicochristianorum Minoris Asiae habebant, quibus epistola, vulgo ad Ephesios praescripta, missa est. Tenendum etiam, in epistola utraque Paulum eundem propemodum finem persequi. — Exorti tamen sunt, quibus placeret, epistolam ad Colossenses non eadem esse tempestate exaratam, qua perscriptae sint

---

55) Super ea et Lutheri in epistolam ad Colossenses praeloquium, quod infra occurrit, potest inspici.

ad Ephesios litterae. Inter argumenta, quibus ratio ea a Lardnero exempli causa propugnatur, hoc facile maximi est momenti: „in epistolae ad Colossenses missae inscriptione nomen Timothei venire obvium, principio epistolae ad Ephesios non item." Sed labitur argumentum comprobata hacce coniectura: Timothei loco alium quendam, licet nobis ignotum captivi Pauli socium, extitisse epistolae Ephesiis missae exceptorem. Neque vero qui epistolas, a Paulo dictatas, calamo exceperunt, cunctarum epistolarum exordiis commemorati, vide epistolarum Timotheo datarum ἐπιγραφάς. E contrario epistolas, de quibus sermo est, ambas eodem spatio temporis confectas esse, inde oppido verisimile, quod, uti perspicuum est ex IV Coloss. 7, 8 atque VI Eph. 21, ad ecclesias, quibus destinatae sunt, ambae eundem per Tychicum delatae sunt.

Similitudine, quae epistolae ad Colossenses est cum litteris ad Ephesios, multo minor illa est existimanda similitudo, quam inter epistolam ad Colossenses ac priorem Timotheo missam, in quibus perversae quidem eaedem doctrinae oppugnantur, Heinrichsius [36]) reperit.

---

36) Cf. Prolegomena ad commentarium epistolae ad Colossenses pag. 173 not. 26.

XXII. *De effectu epistolae, de fatis ecclesiae Colossensis, deque loco, quem epistola ad eam data in Novo Testamento tenet.*

Epistolam, qua de loquimur, traditam esse Colossensibus, summe probabile est. Sed in eos quam exseruerit vim, ignotum. Si quid inter Phryges produxit boni, hoc in saecula multa non permansit. Saltem is locus dubitationis nihil habet, quin apud Phrygios quarti saeculi Christianos haud ita multum valuerit, quippe quum Laodicenae synodo, post medium saeculum quartum habitae, XXXV canone esset sanciendum, ne Christiani relicta Dei ecclesia, in circulos congregarentur secretos, quibus angelos invocarent [37]). Verum, ut ad Colossenses redeat oratio, afflicti mea opinione sunt in persequutionibus generalibus, quibus Christi ecclesia vexata est. Coetus Colossensis Christianus ad quod usque tempus duraverit, accurate nequit definiri. Steterit sane vel complura per aevi medii saecula, donec in Asia Minore salutaris evangelii lux ab Ottomannis exstincta est. Smithus, quem in confesso est Colossarum incolas praeterlapso medio aevo adiisse, commentationis, nobis frequenter allatae, pag. 59:

---

57) Episcopus ille Cyri, qui commentarium perscripsit in nostram epistolam, ad II Col. 18 observavit: „*μέχρι τοῦ νῦν εὐκτήρια τοῦ ἁγίου Μιχαὴλ παρ᾽ ἐκείνοις* (Phryges designantur), *καὶ τοῖς ὁμόροις ἐκείνων* (scil. Pisidis) *ἐστὶν ἰδεῖν.*"

„nulla, inquit, apud ipsos est ecclesia, nullus sacerdos, qui liturgica praelegat, et sacramentum eucharistiae celebret. Graecae linguae penitus obliti miserrimi Colossenses, Turcice in familiari sermone loquuntur." Iuxta ἀποκάλυψιν certe Ἰωάννου III, v. 16 curaverat Christus cuidam Laodicenae ecclesiae praesidi per Ioannem scribendum: „ὅτι χλιαρὸς εἶ — μέλλω σε ἐμέσαι ἐκ τοῦ στόματός μου." Forsitan ea quoque de causa, quia fluctuaret ecclesia Colossensis inter Χριστὸν et βελίαρ, ut ipsius Pauli (II Corinth. 6, 15) usurpem vocabula, ecclesiam perdi sivit Christus. At epistola Colossensibus data, nobis non sine Dei providentia servata: „Deus, ait Balduinus [38]), haud obscure testari voluit, epistolas Pauli, electi sui organi, non ad eas tantum civitates pertinere, quarum nomina praescripta sunt, sed in usum universae ecclesiae Christianae ad finem usque saeculi duraturae, exaratas esse." Interposita est epistola inter epistolam ad Philippenses et epistolas ad Thessalonicenses. Statuto, sacri canonis epistolis suos esse locos non a Paulo, sed a Christiano nescio quo ad eam amplitudinem nobilitatemque assignatos, quas tenerent singularum, quibus scriptae essent, ecclesiarum loci, profecto mirandum est, quod epistola ad Colossen-

---

38) Vide programma Viri, quod ineunte saeculo decimo septimo publicatum est, Vitebergense.

ses est anteposita epistolis ad Thessalonicenses, quandoquidem, sicut Colossae apostolica quidem memoria in πολίσμασι numeratae sunt (vere dicit Heinrichsius [39]): „dubio caret ex omnibus urbibus, quibus traditas a Paulo litteras novimus, Colossas fuisse quam maxime ignobiles“), ita Thessalonica una de nobilibus tunc extitit urbibus. Nulla tamen fit difficultas, si sumas, epistolas Pauli pleras que ex amplitudine locorum eorum, ad quos missae sint, unam alteramve tamen arbitrario esse in sacris scripturis dispositas.

XXIII. *Ostenditur epistolae authentia.*

Litteras, ad Colossenses praescriptas, ab apostolo Paulo profectas esse, argumentis demonstrari potest quum externis, id est e patribus ecclesiae adeoque haereticis quattuor priorum potissimum saeculorum, qui litterarum illarum, locorum in iis occursantium, et Pauli auctoris moverunt mentionem; tum vero internis, i. e. argumentis, quorum sententia epistolae et forma fontes sunt. De *externis* [40]) videa-

---

39) Cf. Heinrichsii prolegom. caet. pag. 155.

40) Apud patres quosdam tum apostolicos tum ecclesiasticos verba sunt et particulae, quae spectent ad epistolam Colossensibus missam, ex eaque videantur desumptae. Clemens Romanus si in priori, quae genuina est, ad Corinthios epistola cap. XXI Corinthios ita alloquitur: „ὁρᾶτε — μὴ

φων, τοῖς ἐπανακάμπτουσιν εἰς νόμον ἐκ πίστεως, Ἢ πάλιν, φησὶ κ. τ. λ. (Affert Clemens V Hebr. 12.) ὡσαύτως ἄρα καὶ τοῖς ἐξ Ἑλλήνων ἐπιστρέφουσι, Κολοσσαεῦσι· βλέπετε μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν" κ. τ. λ. (laudatur II Col. 8). In Origenis προοιμίῳ εἰς τόμους κατὰ Κέλσου cap. 5 habes: „Ὁ μὲν οὖν Παῦλος, συνιδὼν, ὅτι ἐστὶν ἐν φιλοσοφίᾳ Ἑλληνικῇ οὐκ εὐκαταφρονητὰ, τοῖς πολλοῖς πιθανὰ, παριστάντα τὸ ψεῦδος ὡς ἀλήθειαν, φησὶν ἐπ' ἐκείνοις τὸ βλέπετε, μήτις" κ. τ. λ.: ponit ecclesiasticus pater II Col. 8, ac subiungit „καὶ ὁρῶν ἐν τοῖς λόγοις τῆς τοῦ κόσμου σοφίας ἐμφαινόμενόν τι μέγεθος, εἶπεν, εἶναι τοὺς λόγους τῶν φιλοσόφων κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου." Adamantinus lib. II, cap. 7 de principiis vocem: „vita vestra abscondita est cum Christo in Deo"; quae est obvia III Col. 3, item in ἐκλογαῖς εἰς τὴν ἔξοδον pag. 340 (opp. Origen. tom. V, ed. Wirceburg.) vocem III Col. 9, 10 positam: „ἐκδυσάμενοι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον" κ. τ. λ., ut Pauli dicta in medium profert. Denique lib. V contra Celsum cap. 8 (opp. tom. II, pag. 16) „παρὰ δὲ τῷ Παύλῳ ἀκριβῶς τὰ Ἰουδαίων παιδευθέντι, καὶ ὕστερον ἐκ παραδόξου ἐπιφανείας Ἰησοῦ χριστιανίσαντι, τοιαῦτ' ἐν τῇ πρὸς Κολοσσαεῖς λέλεκται, μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω" κ. τ. λ. refert Origenes II Col. 18, 19. Cyprianus principio scripturae de bono patientiae: „beatus apostolus Paulus, plenus spiritu sancto, et vocandis formandisque gentibus missus, contestatur et instruit, dicens:

dicens: videte ne quis vos depraedetur" caet.; citatur II Col. 8, 9. Idem episcopus Carthaginiensis cap. 120, lib. III testimonior. adversus Iudaeos ad Quirinum: „in epistola Pauli ad Colossenses: instate orationi, vigilantes in ea;" dictum est IV Col. 2 exstans. Porro cap. 8, lib. I testimon.: „Paulus ad Colossenses (scil. dixit): circumcisi estis circumcisione non manu facta" caet.; verba sunt sumpta ex II Col. 11. Libello „de laude Martyrii ad Moïsen et Maximum et caeteros confessores", quem voluerunt nonnulli a Cypriano perfectum, quique saltem non ita seris Christianae rei temporibus conscriptus [41]) esse videtur, est, ubi dicat auctor: (cf. Cypriani opp., ed. Lutet. Paris. a. 1649, p. 338) „si cum Christo, inquit (nimirum „beatissimus Paulus", qui in proxime praegressis commemoratur) commortui estis, quid tanquam viventes in hoc mundo decernitis"? sunt ex II Col. 20 adducta vocabula.

Vir ille divini coetus Romani anonymus, cui veterem scriptorum Novi Testamenti catalogum (canònem) debemus [42]), Paulo attribuit

41) Schroeckhius tom. IV der christlichen Kirchengeschichte. p. 280: „alt genug mag — die Rede vom Lobe des Märtyrerstandes seyn, auch ziemlich die Gesinnung dieser (sc. Cyprianicorum) Zeiten enthalten; aber sie ist zugleich sehr gezwungen und schwülstig."

42) Canonem Anonymi circa extremum saeculum secundum florentis, vulgavit Muratorius in antiquitt. Ital. medii aevi, tom. III, pag. 854.

epistolam ad Colossenses datam. Origenes in homilia VII super librum Iesu Nave, cuius quidem homiliae principium hoc est: „Iericho tubis subruitur sacerdotum", eo ipso utitur ad aliqua, quae apostolico aevo contigere, per imagines exprimenda, aitque: „ille, — qui dixit: puto autem nos Deus novissimos apostolos ostendit (vocabulis iis, ex I Corinth. 4, 9 repetitis, Paulus significatur) — in quattuordecim epistolarum suarum fulminans tubis, muros Iericho et (τὸ „et" tanquam ἐξηγητικὸν licet accipere) omnes idololatriae machinas et philosophorum dogmata usque ad fundamenta deiecit." Verbis „quattuordecim epistolarum suarum" etiam litteras Colossensibus missas contineri, nil dubito. Victorinus, episcopus Petavionensis post medium saeculum tertium, quem Hieronymus de vir. illustr. cap. 74 tradit ad extremum (puta: dum Diocletianus ecclesiam Christianam vexet) martyrio coronatum, commentarium fecit in apocalypsin, talemque in eo vocem emisit: „Paulus — scripsit — ad Ephesios, — ad Colossenses" caet. Declarat Euseb. lib. III hist. ecclesiast., „quattuordecim, quas concinnaverit Paulus, epistolas notas (scil. ecclesiae) esse atque perspicuas," vultque III, 25, Pauli epistolas, excepta nulla, ἐν ὁμολογουμένοις esse, i. e. in scriptis Novi Testamenti iis, quae a theologis Christianis existimarentur genuina. In quattuordecim epistolis Paulo adscribendis con-

sentiunt auctor fragmenti festalis, quam Alexandrino Athanasio assignavere, epistolae [43]), concilium Laodicense in canone LIX, quo etiam *Παύλου πρὸς Κολοσσαεῖς μία* nuncupatur, Epiphanius haeres. LXXVI, Gregorius Nazanzenus [44]) carmine, quod inscribitur: *περὶ τῶν γνησίων βιβλίων τῆς θεοπνεύστου γραφῆς*, auctor iamborum ad Seleucum, quem eundem Nazianzenum extitisse perhibent quidam [45]), canon ille, in tom. I, pag. 342 bibliothecae iuris canonici veteris a Iustello exhibitus, in quo nonnullae Africae synodi acquieverunt, reliqui.

Marcion, qui decem duntaxat epistolis Pauli usus est, et iis quidem unum in volumen, nomine *τοῦ ἀποστολικοῦ* insignitum collectis, cen-

---

43) Fragmenti illius auctor epistolam *πρὸς Κολοσσαεῖς* inter Pauli apostoli epistolas quattuordecim numerat. Idem de scriptis N. T. universis: „*ταῦτα πηγαὶ τοῦ σωτηρίου, ὥςτε τὸν διψῶντα ἐμφορεῖσθαι τῶν ἐν τούτοις λογίων. Ἐν τούτοις μόνοις τὸ τῆς εὐσεβείας διδασκαλεῖον εὐαγγελίζεται. Μηδεὶς τούτοις ἐπιβαλλέτω, μηδὲ τούτων ἀφαιρείσθω τι.*"

44) Ita Gregorius ille, quem fere Nazianzenum dicunt, ab Hieronymo, magno Gregorii discipulo appellatur.

45) Leguntur in iambis:

„*Τὸ σκεῦος ἑξῆς προςτίθει* (sc. quattuor evangelistis) *τῆς ἐκλογῆς*
Τὸν τῶν ἐθνῶν κήρυκα, τὸν ἀπόστολον
Παῦλον, σοφῶς γράψαντα ταῖς ἐκκλησίαις
Ἐπιστολὰς δὶς ἑπτα, Ῥωμαίων μίαν
Ἧι χρὴ συνάπτειν — — τὴν γεγραμμένην
Κολοσσαεῦσι" *κ. τ. λ.*

Iambos debere Iconiensi Amphilochio originem, praeplacuit aliis.

suit, epistolam ad Colossenses inscriptam, a Paulo fluxisse, interque decem, quibus contentus erat, Pauli epistolas octavum locum assignavit, id quod ex opere Tertulliani adversus Marcionem, libro quinto imprimis, atque etiam haeresi XLII de Marcione, quae Epiphanio conscripta [46]) est, patet. Qui Marcionis initio quidem fuit auditor, Apelles gnosticus, is, uti est apud Tertullianum in libro de praescript. adversus haeret. pag. 194 (tom. I opp. Tertull. Paris. a. 1566 ed.), solo Marcionis apostolo (seu apostolico), ergo etiam Pauli ad Colossenses epistola usus est. Sectatores Valentini gnostici vocabula *ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος,* quae II Coloss. 9 offendas, tanquam Pauli verba adhibuisse, testis est Irenaeus lib. I advers. haer. cap. III, n. 4. Et ii, quorum mentio facta est, haeretici, saeculo p. Chr. n.

---

46) Est apud Epiphanium: „*αἱ δὲ ἐπιστολαὶ αἱ παρ' αὐτοῦ λεγόμεναι εἰσι πρώτη μὲν πρὸς Γαλάτας, δευτέρα δὲ πρὸς Κορινθίους, τρίτη πρὸς Κορινθίους δευτέρα, τεττάρτη πρὸς Ῥωμαίους, πέμπτη πρὸς Θεσσαλονικεῖς, ἕκτη πρὸς Θεσσαλονικεῖς δευτέρα, ἑβδόμη πρὸς Ἐφεσίους, ὀγδόη πρὸς Κολοσσαεῖς, ἐννάτη πρὸς Φιλήμονα, δεκάτη πρὸς Φιλιππησίους.*" Epistola ad Colossenses, quare a Marcione epistolis ad Galatas, Corinthios, Romanos, Thessalonicenses, Ephesios datis sit postposita, hoc fuisse in causa videtur, quod ecclesia Colossensis coetibus Galatiae, Corinthi, Romae, Thessalonicae, Ephesi Christianis amplitudine ac gravitate concederet. Sed cur tandem praeposita epistolae ad Philippenses est, quorum ecclesia urbsque Colossensem celebritate amplitudineque superaret? Id ignotum forsan fuit Marcioni.

secundo in ecclesia prodierunt. In universum nullius ex antiqua ecclesiae Christianae historia venit mihi in mentem, cuius opinione data ad Colossenses epistola a Paulo non concinnata sit.

Iam vero *interna* consideremus argumenta, quorum ope authentia epistolae illustratur: Indoles apostolo Paulo propria in scripto eo non potest non agnosci. Lingua Hebraico-Graeca, et stylus, et omnis epistolae struendae ratio, et modus refutandi errores, veritatesque evangelicas proponendi, qui in epistola ad Colossenses missa reperiuntur, in epistolis quoque reapse Paulinis occurrunt. Historicorum quorundam *περικειμένων*, in epistola ad Colossenses memoratorum respectu, talem inter eam et historiam Pauli a Luca in Actis apostolorum compositam obtinere convenientiam, quae ab epistolae ad Colossenses auctore spectata non sit, dextre probavit Guilielmus Paley, theologus Britannicus, in libro: Beweis der Glaubwürdigkeit der Geschichte und der Aechtheit der Schriften des Apostels Paulus aus ihren wechselseitigen Beziehungen auf einander, seu horae Paulinae, aus dem Englischen mit einigen Anmerkungen von Dr. Henke [47]). Ideae epistolae, qua de verba facio, et dogmaticae et ethicae ingenio Christianae religionis accommodatae sunt, penitusque Paulinae: ac si per

---

47) Cf. et b. Eichhornii Einleitung in das N. T. tom. III, part. I, pag. 298.

illis multa intercedit cum litteris ad Ephesios similitudo, id nullo pacto repugnat authentiae epistolae ad Colossenses, ut quae non pariter atque quaepiam, quae circumferuntur, pseudopaulinae ex singulis locutionibus Pauli artificiose consarcinata ac frigida, sed unum aliquid sit, ex ingenio, memoria, pectore Pauli natum, plenum vigore, in nativum ordinem digestum. Litteras ad Colossenses a Paulo ὄντως manasse, ei praecipue certo persuadebitur, qui cum pseudopaulinis opusculis accuratius paulo contenderit [48]). Omnino si a quopiam fraudatore supposita foret epistola, neque eam divinae veritatis caritatem, pietatem, integritatem animi spiraret, quam redolet ἀληθῶς, et saltem aliquod origenis non Paulinae et imitationis cuiusdam Pauli in pertentata epistola aeque atque in apocryphis conspicuum esset vestigium, quod vero apparet nullum. His ego de causis verum esse credo epistolae, de qua sermo est, principium, secundum quod Paulus epistolae auctor exstitit [49]), quodque disiungatur ab epistola nequaquam licet.

---

48) Possunt etiam supposititia evangelia documento esse, evangelia Matthaei Marcique et Lucae atque Ioannis esse genuina.

49) Hoc quodammodo eo quoque confirmatur, quod epistola neque sibi, neque partibus Novi Testamenti aliis vere repugnat.

XXIV. *Monstratur epistolae Colossensibus dicatae integritas.*

Faciendum mihi puto cum b. Dr. Knappio, tom. I seiner Vorlesungen über die christliche Glaubenslehre nach dem Lehrbegriff der evangelischen Kirche, edit. a S. V. Thilone, pag. 67 docente: „sie (scil. integritas bibliorum) besteht eigentlich in der unverfälschten Richtigkeit und Gewißheit des Inhalts der Bibel, besonders der darin vorgetragenen Lehren." Materialis ea, ut ita dicam, integritas, quin competat epistolae Colossensibus missae, non dubitandum. Nempe textum, uti aiunt, eius ipsum esse maximam partem etiamnum incorruptum, ostenditur antiquorum codicum, locorum ex epistola ecclesiasticis patribus citatorum, postremo translationum epistolae prioribus ecclesiae temporibus paratarum, consensu nonnunquam maximo. Variantes lectiones, quae librariis codicum Novi Testamenti, tum errori tum peccato obnoxiis, non poterant non nasci [50]),

---

50) In textu epistolae ad Colossenses variantes lectiones sat multas esse, inter easque et spurias, e Griesbachii Novo Testamento, tom. II manifestum est. Quid? quod iam Marcion epistolae interpolavit textum. Tertullianus lib. V advers. Marcion. 21 declarat: „soli huic epistolae (sc. epistolae ad Philemonem) brevitas sua profuit, ut falsarias manus Marcionis evaderet." — Quod si quis statueret, integritatem libri alicuius biblici hanc esse eius affectionem, qua per incuriam mortalium malitiamve neque diminutus, neque additamentis locupletatus, qua ergo moderante τῇ τοῦ θεοῦ προνοίᾳ inde ab apostolico aevo usque ad aetatem re-

quomodo in spiritibus mutatis, litteris singulis syllabisque, omissionibus parvis, additamentis speciem glossematum tenentibus, quaeque sunt eius generis alia, constant, sic ponderis haud ita magni sunt. Neque vero legere me memini locum dogmaticum moralemque in epistola ad Colossenses, qui variis suis ipsius lectionibus corruptus plane sit [51]), vel redditus incertus. Epistola hacce aeque atque caeteris Novi Foederis apostolicis homines ad cognitionem veri Dei et Iesu Christi admoveri, corrigi, salvi praestari possunt.

XXV. *De epistolae ad Colossenses auctoritate canonica.*

Auctoritas epistolae canonica ea intelligitur illius praestantia, ex qua a partibus suis et dogmaticis et moralibus Christianis certa est credendorum atque agendorum regula. Esse ea affectione epistolam, reperti sunt in ecclesia antiqua, qui infitiarentur. Ebionaei videlicet et Encratitae sive Severiani epistolas Pauli, igitur epistolam quoque Colossensibus datam, re-

---

centissimam sincerus sit conservatus, per variantes epistolae ad Colossenses lectiones in eam nihil caderet integritas. At male sic statueretur.

51) Haenlinius tom. I seines Handbuchs der Einleitung in die Schriften des N. T. pag. 234: „Veränderung des Bibeltextes, ait, ist nicht geradezu auch Veränderung des Bibelsinnes."

iecere, cf. Euseb. III lib. histor. ecclesiast. cap. 27; IV, 29; Origenem V contra Celsum; deque Encratitis et Theodoretum, lib. I haeretiсar. fabular. 21 [52]). Verum enim vero tale quid non propterea ausi haeretici sunt, quod epistolas Pauli a Paulo confectas non crederent, sed iccirco potius, quia in epistolis observarent, quae sententiis suis Iudaizantibus asceticisque refragarentur, quin redarguendis iis inservirent, et quia Paulum, ut apostatam legis Mosaicae, nullis in deliciis haberent. Irenaeus I advers. haeres. 26 tradit: „qui — dicuntur Ebionaei, apostolum Paulum recusant, apostatam eum le-

---

52) Epiphanius (quocum Philastrius episcopus Brixianus haer. 56 comparandus est) quoad sectatores Cerinthi in haeres. XXVIII dicit: „τὸν Παῦλον ἀθέτουσι." Legitur II haer. fabul. 7 Theodoreti de Helcesaitis: „τὸν ἀπόστολον παντελῶς ἠρνήθησαν." Eusebio lib. VI histor. ecclesiast. cap. 38 referente Origenes in homilia, quam in psalmum octogesimum secundum habuit, de secta Helcesaitarum aperuit: „τὸν ἀπόστολον τέλεον ἀθετεῖ." Neque vero dubium, quin Theodoretus Origenesque voce ἀπόστολον Paulum dicant. Epiphanii, Theodoreti, Origenis voces sic queas exponere: „Cerinthianos et Helcesaeos dignitatem Pauli apostolicam prorsus non agnoscere, immo reiicere;" verum ita quoque: „Cerinthianos atque Helcesaeos epistolas apostoli Pauli integras (haud excepta epistola ad Colossenses), repudiare." Posterius si commiserunt haeretici, ideo quum maxime fecerunt, quia probatis sibi placitis epistolas adversari Paulinas animadvertissent. Certe Epiphanius loc. cit. super Cerinthianis: „ἐκβάλλουσιν αὐτὸν (scil. Paulum) διὰ τὸ εἰρηκέναι· ὅσοι ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε, τῆς χάριτος ἐξεπέσατε." Καὶ „ὅτι ἐὰν περιτέμνησθε, Χριστὸς ὑμᾶς οὐδὲν ὠφελήσει." Habes V Galat. 4, 2.

gis dicentes." Et Severiani feruntur ab Eusebio IV histor. ecclesiast. 29 „βλασφημοῦντες τὸν Παῦλον, τὸν ἀπόστολον" κ. τ. λ. Ex se intelligitur, Paulinis epistolis singulatimque epistolae ad Colossenses, ob dogmaticas istas rationes (quarum ergo pluris potius aestumanda est), auctoritatem canonicam detrahi non debere, multoque minus ea re, quia haereticis in amore non fuerit paganorum apostolus.

Potest is demum Novi Instrumenti liber canonica hac auctoritate instructus et ornatus censeri, qui γραφὴ est θεόπνευστος, et hinc θεῖα, ἱερά. Genuinae omnes apostolorum Iesu scripturae inspiratae sunt ac divinae; Christus quippe apostolis sanctum Spiritum (παράκλητον, opitulatorem) promiserat, qui non solum in mentem iis revocaret, quidquid Christus, versatus in terra, dixisset, sed revelaret divinas quasdam veritates, quas Christus cum apostolis non communicasset (XVI Ioan. 12, 13); quique apostolos edoceret omnino omnia (XIV Ioan. 26), quibus, Christianam doctrinam propposituri, carentes esse non possent. Promisit Christus apostolis prodeuntem a Deo patre Spiritum sanctum, qui maneret cum ipsis in perpetuum (εἰς τὸν αἰῶνα), igitur tum quoque, quum religionem Christianam scriptis propagarent (XIV Ioan. 16, 17) [53]). Is vero Spiritus die a festo

53) Ait in instit. theol. dogmat. § 28 Danovius: „si ad iudices praeteritura verba facturis (scil. apostolis) adflatu

Paschatis quinquagesimo largiter est apostolis impertitus, quomodo Lucas cap. II Act. 4 clare narrat. — Etiam Paulus non per hominem quemquam hominesve meros, sed per Iesum Messiam acceperat provinciam apostoli (I Rom. 5, XXVI Act. 17 sqq., I Galat. 1 al.); Paulus Christi loco legatus sive apostolus [54]) fuit (II Corinth. 5, 20), neque ulla in re eximiis apostolis Iesu cessit, Petro nimirum, Ioanni, Iacobo (II Corinth. 11, 5; 12, 11), qui ecclesiae Christianae fulcra iudicarentur (II Galat. 9). Unde promissum Domini, cuius mentio supra facta, et Paulum attigit; consequutus est et habuit Spiritum a Deo profectum (I Corinth. 2, 12; 7, 40). Non abs quopiam mortali evangelium Paulus nactus est (I Galat. 12), sed Deus potius et Ie-

---

divino erat prospiciendum, ne inepta loquerentur, Matth. 10; 19, 20; Luc. 21, 15, quanto magis mansura ad omnem posteritatem scripta edituris, ne humano generi gravissimorum errorum auctores existerent? Nempe quantum in illo genere momentum habuit periculi praesentia, tantum in hoc habuisse gravitas censenda est." Et Storrius in suo: Lehrbuch der christlichen Dogmatik ins Deutsche übersetzt caet. von M. Flatt, § 11 docet: „es läßt sich gar nicht absehen, warum die Apostel gerade beim Schreiben diejenige Einsicht verlassen haben sollte, welche sie aus den vorherigen Belehrungen Christi, oder des Geistes, der nach seinem Tode vom Himmel gesandt wurde, geschöpft hatten, oder warum gerade zu der Zeit, wo sie schrieben, der beständige Aufseher, welcher sie sonst bei ihrem Lehramte leitete, ihnen seinen Beistand entzogen haben sollte." Utrumque hoc dictum percutit probabilitate.

54) Eius rei ἔνδειξις Corinthii fuerunt ipsi, quatenus per Paulum ad religionem Christianam ducti et conversi erant.

sus Christus evangelium patefecerunt Paulo [55]) per Spiritum Dei (I Corinth. 2, 10; I Galat. 12); proposuit Paulus doctrinam non hominum, sed revera Dei (I Thessalonic. 2, 13); tradidit, in epistolis quoque, doctrinam divinam [56]) ἀληθῶς ita, ut divinitus acceperat (II Corinth. 2, 17); docuit aliqua futura, quae coaevis longe plerisque mysteria essent (I Corinth. 15, 51 sqq.): et Spiritus ille, quem apostolis spoponderat Dominus, res quoque futuras iis annuntiaturus erat (XVI Ioan. 13). — Atqui missa ad Colossenses epistola verus est foetus apostoli Pauli, ergo inspirata (λαληθεῖσα ἐν πνεύματι ἁγίῳ) est, hinc canonica auctoritate ornata.

XXVI. *Adiumenta in legenda epistola ad Colossenses litteraria.*

a) *Introductiones in epistolam.*

In Aug. Herrmann. Frankii „öffentlichem Zeugniß von dem Worte Gottes, wie solches unter

55) Id se facturum, Paulo apparens Christus pollicitus erat XXVI Act. 16. Quod reliquum est, Paulus apostolus suas ipsius sententias cum iis, quae a Christo manarent, praeceptis, non confudit, id quod apertum est ex I Corinth. 7; 25, 12 al.

56) Esse Paulum Iesu apostolum, esse doctrinam, quae pronuntiaretur a Paulo, divinam, miraculis etiam comprobatum, cf. II Corinth. 12, 12; XIV Act. 5. Miracula, a Deo Christove per Paulum patrata, praeterea XIX Act. 11, 12; XV Rom. 19; XIV Act. 8—11; XIII, 6—12 commemorantur.

göttlichem Segen recht zu lesen, und zum heilsamen Nutz und Gebrauch anzuwenden ist" caet., Halae 1702 obvia est „eine besondere Einleitung zum Verstand der Epistel an die Colosser." Multa eruditione et brevitate destituitur isagoge; opus est animi piis sensibus referti, praestat asceticum aliquod scriptum, habetque, in quibus magnus ille theologus Halensis ingenium suum non infeliciter sequutus sit.

Car. Gottl. Hoffmanni introductio in epistolam ad Colossenses, ed. Lips. a. 1759. Monstrat auctor opusculi animum vere Christianum, diligentiam solidam nec spernendam eruditionem; at vero acris iudicandi facultas in eo non est.

b) *Translationes epistolae, quae ex ipso textu, quem vocant, Graeco ante saeculum p. Chr. n. decimum confectae, quarumque nonnullae pro documentis authentiae litterarum Colossensibus datarum habendae sunt:*

Versio Latina usitata sive vulgata, quam auctore Damaso, episcopo Romae, sapienter emendavit Hieronymus. Habet hoc vitii, quod verba Novi Testamenti nimium premit.

Continetur epistola ad Colossenses illa Novi Instrumenti versione, quam, saeculo vel extremo secundo vel tertio p. Chr. n. non sine prudentia paratam, Peschito (haud elegantem) vocitant. Fuit fidelibus Christianis Syriae in manibus. Versio epistolae, quam tractamus, dialecto inferioris Aegypti facta, quae eadem

dicitur Coptica. Orta est circa extremum fortasse saeculum quartum [57]), quo inter episcopos Aegypti inferioris homines iam extiterunt ex Aegypto oriundi. Reperitur in libro, cui titulus: Novum Testamentum Aegyptium, vulgo Copticum, ex MSS. Bodleianis descripsit, cum Vaticano et Parisiensibus contulit et in latinum sermonem convertit Wilkins, Oxon. 1716.

Versio Aethiopica, quae temporibus Frumentii dicitur parata, quem constat saeculo quarto apostolum Aethiopum fuisse. Chrysostomus quidem in II hom. super evangel. Ioan. multis iis populis, quorum in linguas conversae sint doctrinae Novi Testamenti, Aethiopes an-

---

57) Eodem saeculo quarto concinnavit Ulphilas (Wulfilas, Gilphulas, Wolf) celeberrimus episcopus Ostrogothicus translationem epistolarum Paulo exaratarum Gothicam, cuius multa pars cl. Angelo Maio, bibliothecae Vaticanae nunc custodi, aliquando Mediolani in manus incidit, et cuius specimen coniunctis curis eiusdem Maii et Octavii Castilianei, comitis linguam Germanicam callentis, a. 1819 editum est. Haec autem versio nescio an „die gutische" dicenda sit vernacule. Quippe Vir S. V. Augustus Zennius in praefat. libelli: „Gothische Sprachformen und Sprachproben, zu Vorlesungen entworfen," Berolin. a. 1825 ait: „Die gothische, oder wie wir aus den neuentdeckten Handschriften zu Milano nun richtiger wissen, (Dicit Vir doctissimus in nota: „In dem Kalender der ambrosischen Bücherei kommt Gutþiuda, Gutvolk, vor, welches auf den ältesten Namen bei Pytheas Guttones hinweist") die gutische Mundart, ist der älteste uns bekannte Sproß des vielastigen germanischen Sprachstamms, durch seine Lispel- und Hauchwehn-Laute mehr nach dem Norden als nach dem Süden Deutschlands hinweisend."

numerat. Quemadmodum Vulgata (seu communis) et Peschito, sic Aethiopica Novi Testamenti versio, quae ab auctore ad originalem textum, ut aiunt, haud raro applicata accurate est, in Polyglottis bibliis, Londini saeculo decimo septimo prostantibus, in vulgus manavit, sed haud castigata [58]). Ibidem invenias

Versionem Arabicam, quae, quomodo ex loco II Act. 9 promtum est, cuidam Cyrenaico originem suam debet: is videtur inter septimum saeculum ac decimum egisse. Neque critico interpreti epistolarum Paulinarum versio contemnenda.

Quinti saeculi initio [59]) Miesrobus simul duobus cum discipulis, qui secundum Mosen Choronensem Ioannes Ecelensis et Iosephus Planensis audivere, fecit versionem Novi Testamenti Graeci in Armenicum sermonem: eam ad interpretationes alias, verbi causa Peschito, conformatam, a. 1666 exscribendam typis curavit episcopus quidam Uscanus.

---

58) Contendit Ludolphus mendis veteribus (i. e. iis, quibus versio Aethiopica in Romana quadam editione sit conmaculuta), novas esse superadditas.

59) Sextum in saeculum incidit Syriacae illius Novi Testamenti versionis origo, cuius auctor Polycarpus chorepiscopus versionem Philoxeno, Syriaco episcopo sacram esse voluit. A Philoxeno est Philoxeniana appellata. Versio, qua archetypi Graeci vocabula exprimuntur diligentissime, edi coepta est a. 1798 a Whitio, professore Oxoniensi.

Nono saeculo Cyrillus, qui ante dictus Constantinus est, eiusque frater Methodius, egregii monachi Graeci floruere, item Slavonicum apud populum doctrinam evangelicam praedicavere, cumque populo Novum Foedus Slavonicam in linguam translatum communicavere, quae quidem versio a. 1581 est publicata. Biblicam translationem, lingua Georgica sextum credo per saeculum paratam, Georgii, qui quarto saeculo fidem Iesu Messiae adhibuisse traduntur, tenuerunt; tulisse eam, quae a. 1743 Moscoviae foras data est, complures ex Slavonica versione interpolationes, eoque minoris esse pretii, compertum est.

c) *Sermones de epistola ad Colossenses exegetici.*

Ioannes, Constantinopolitanus archiepiscopus, cui ab orbe Christiano splendidissimae eloquentiae gratia, cognomen Chrysostomi iure inditum est, habuit homilias 12 in epistolam, fere cum caeteris operibus Chrysostomi publici iuris factas. Pater ecclesiae Paulini textus tum formulas loquendi, tum ideas citra violentiam omnem, ad literam et fructuose exponit, ita tamen, ut etiam refutandis anticatholicorum opinionibus aptae cernantur. Ostendit insignem ac profundam cognitionem Christianam, non isto cum pietismo, quem Paulus II Timoth. 3, 5 bene delineavit, sed cum germana pietate Christiana copulatam.

Ioan.

Ioan. Agricolae, qui Lutheri usus est institutione, Epistel an die Colosser, gepredigt an dem Reichstag zu Speier; Wittenberg, 1527. Franc. Iul. Luetkensi Auslegung der Epistel an die Colosser in 103 Predigten, nebst Anmerkungen über die an Titum; Leipzig, 1718. Suppeditant theologi ii Lutherani satis bona.

Ioan. Dallaei (Daillé) sermons sur l'épître aux Colossiens, saeculo decimo septimo emissi. Dallaeus theologiae reformatae addictus ecclesiastes, scriptis historiam ecclesiae Christianae spectantibus ampliorem est adeptus gloriam, quam sermonibus illis asceticis.

d) *Paraphrases litterarum Colossensibus missarum.*

Des. Erasmi in Pauli apostoli epistolas tredecim et illam, quae ad Hebraeos scripta est, paraphrasis, foras data a Deichmanno, Hanoviae. Utitur Doctor Rotterodamus animi circumspectione, Pauli sententias recte intelligit saepenumero et explicat; potuit suo iure paraphrasium nomine eam vocem emittere: „hic sum in campo meo."

Novum Testamentum Domini nostri Iesu Christi, ex versione vulgata cum paraphrasi et annotationibus Henrici Hammondi ex Anglica lingua transtulit ediditque Clericus, Amstelod. 1698. Paraphrasis Hammondi Erasmiae posthabenda; annotationes Hammondi non impiae, at nonnunquam contortae, animadversiones,

quibus Clericus opus Hammondi auxit, philologicae sunt, historicae, liberales.

Ioan. David. Michaëlis paraphrasis und Anmerkungen über die Briefe Pauli an die Galater, Epheser, Philipper, Colosser, Thessalonicher caet. Göttingen 1750. Quae Paulus in epistola ad Colossenses est concisius obscuriusque eloquutus, ea fusius et clarius proponit eruditus Michaëlis. Annotationes si spectes, interdum aliorum, ut Peircii, vestigiis insistit, verumtamen nova quoque et sua profert.

Gotthilf Traugott Zachariae paraphrastische Erklärung der Briefe Pauli an die Galater, Epheser, Philipper, Colosser und Thessalonicher, edita saeculo XVIII pluries. Ab eo theologo Deum verente pulchrum affunditur lumen aliquot dictis Pauli, nisi quod plura fortasse, quam necessarium est, verba hic illic usurpantur. Notas, paraphrasi subiectas, non poenitebit perlustrasse.

Erklärende Umschreibung des Evangelii Johannis, wie auch der sämmtlichen apostolischen Briefe, Halle 1771. Liber, quem Lynarus comes, ni fallor, contexuit, ad excitandos pios sensus et fovendos accommodatus. Auctori illustri Paulum cognitum penitius fuisse, patet.

e) *Singuli in epistolam ad Colossenses commentarii.*

Quod commentaria in XIII epistolas beati Pauli attinet, quae inserta sunt secundo tomo operum Ambrosii, episcopi Mediolanensis, a

monachis ordinis S. Benedicti e congreg. S. Mauri Paris. a. 1686 vulgatorum, in illis explicatur Latina quaedam versio Pauli, inveniuntur dogmaticae saepius et probabiles [60]) neque aliunde petitae enarrationes, quamquam mysticae etiam et insulsae occurrunt. Mediolanensi quidem Ambrosio pertexta non sunt ista commentaria; nam Ambrosii huiusce in apostolum ethnicorum opus ad aetatem recentiorem non propagatum, cf. Cavei historiam litterariam scriptor. ecclesiasticor. pag. 150. Blondello, Ernestio, immo Salmerone, Bellarmino iudicibus quidam Hilarius, abs quo saeculo quarto diaconi in ecclesia Romana munus administratum est, commentariorum auctor extitit: Hilarius inquam is, cui decerneretur, baptismum haereticorum, veluti Arianorum, vanum esse, cuique opus, licet deperditum illud „de haereticis rebaptizandis" perficeretur. Sane vacat controversia, Augustinum [61]) aliqua commentariorum vocabula ad Hilarium quempiam sanctum, quasi auctorem referre. At quandoquidem complures in ecclesia Christiana Hilarii inventi sunt, potest merito quaeri, annon

---

60) S. V. Neander tom. I, part. I der allgemeinen Geschichte der christlichen Religion pag. 281 not. hoc fert de auctore commentariorum eorum iudicium: (Er) „zeichnet sich durch seine unbefangene Betrachtungsweise des christlichen Alterthums besonders aus."

61) Opp. Benedictinor. studio foras emissa, tom. X.

diaconum Romanum Hilarium episcopus Hipponis Regii designaverit [62]). Ut autem de auctore commentariorum (quae Pseudo-Ambrosius seu Ambrosiaster plerumque dicuntur,) haud satis constet, apparet tamen ex Augustino ipso, vetusta esse commentaria. Seque sub Damaso scripsisse, auctor ad I Timoth. 3 docet.

Qui in scriptis Hieronymi, edit. a. Martian., tom. V leguntur succincti in epistolas Paulinas commentarii, quamvis vel stylus eorum a scribendi genere, Hieronymo proprio, abhorreat, Pelagium illum auctorem habere recte iudicantur, quem scimus eadem cum Hieronymo et Augustino memoria vixisse [63]). Qui? quod scriptor saeculi sexti [64]) censuit, Pelagiani erroris venena illic (i. e. in commentariis iis) esse seminata. Fatendum, Pelagium, dum Italam textus Paulini interpretationem ad litteram, neque citra mentis acumen et dexteritatem explanet, pluries veram sententiam apostoli assequutum. Sed quicunque intellecturus accuratius est epistolas Pauli, acquiescere non de-

62) Oudino in commentar. de scriptoribus ecclesiasticis, Petavio, aliis opinio Blondelli improbata est.

63) Pelagius patrio audivit nomine Morgan (Marigena i. e. oriundus erat ex Britannia).

64) Videsis libri: de institutione divinarum scripturarum, cap. VIII auctorem.

bet in Pelagii ad eas scholiis [65]. Praestantior multo est

Illa XIV epistolarum S. Pauli apostoli interpretatio, quam circa annum 432 paravit Theodoritus seu Theodoretus (Deo erat a parentibus consecratus), coaevorum suorum nemini a doctrina ac pietate cedens. Eo igitur commentario, exhibito in opp. Theodoreti, a Noesselto editis, part. I, tom. III, illustrat pater ecclesiasticus Paulinum textum plana oratione et simplici nec non sagaciter; haud pauca affert, quae aliis non succurrere Novi Foederis interpretibus. Attamen exponit etiam episcopus Cyri Chrysostomi explanationes Pauli, quamquam crebro coarctatas. Maior est Theodoretus in Novo, quam Veteri Instrumento interpretando.

Sub finem saeculi decimi, uti fert opinio, Oecumenius floruit, quem Montefalconius vidit episcopum Triccae extitisse. Librorum Novi Testamenti complurium Graecus scholiastes fuit, extantque tom. II opp. Oecumenii, Lutetiae Parisior. a. 1631 publicatorum, ecclesiastici patris in epistolam ad Colossenses Paulinasque alias commentarii. Oecumenius, etsi suo interdum Marte, dilucide, ex facili explicat dicta, spe-

65) Excepto in epistolam ad Romanos commentario Pelagiano, Cassiodorus commentarios Pelagii aliis emendandos reliquit; vide Cassiodorum de institutione caet.

ciatim dictionem Pauli, neque puto improbabiliter (si vocem Salviani usurpare licet), locis tamen Pauli plurimis per veterum patrum interpretationes bonas, singularique saepe modo propositas, laetam lucem affundit. Inter patres eos numerandi Origenes, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, (quem Oecumenius *τὸν μακάριον*, etiam Ioannem appellat, et qui, ut ait Vir quidam doctus, Oecumenio „prora ac puppis" est,) Theodoretus, Isidorus Pelusiota, aliique.

Saeculo decimo Atto II, episcopus ecclesiae Vercellensis, paravit in epistolas Pauli omnes commentarium. Non omittit Atto multa et magni facienda de suo ponere. Origenis, Augustini, Hieronymi, quique sunt alii, enarrationes cum delectu refert. Reperias commentarium [66]) in Attonis operibus, quae a Vercellensis ecclesiae canonico et cantore maiore Burontio del Signore anno 1768 foras elata sunt.

Floruit undecimo saeculo et duodecimi initio Theophylactus, qui propterea Melanchthoni ac Thomae Aquinati nominatur Vulgarius, quia inter Bulgaros archiepiscopatu, munere satis difficili, functus est; delatus erat archiepiscopatus singulatim ad primam ecclesiam Bul-

---

66) Non improbandum est iudicium in Ernestii neuer theologischer Bibliothek, vol. X super commentario prolatum.

gariae, Achridensem dico. Sacrae scripturae expositione laudem apud Graecos permagnam Theophylactus sibi peperit. Confecit etiam ἐξήγησιν τῶν ἐπιστολῶν τοῦ ἁγίου Παύλου, inveniendam tomo II operum Theophylacti, Venetiis a. 1754 — 1763 typis vulgatorum. Graecis patribus, Chrysostomo praecipue, non pauca debet, rarius suam sequitur in explanando Apostolo mentem. Attamen pronuntiare interpretationes non reformidat, quae parum cum rationibus Chrysostomi conveniant.

Quae ad Anselmum Cantuariensem, tanquam fontem, relatae, et a. 1612 Colon. a Piccardo editae in lucem sunt, explanationes in epistolas S. Pauli, non Anselmo illo magno gaudent auctore [67]). Qui autem cunque explanationes perscripserit, aspernandae non sunt, quippe quum scriptor, tametsi Augustini frequenter premit vestigia, suo interdum et probo iudicio utatur.

Saeculo XIV in vita fuit Nicolaus, quem quoniam procreatus est Lyrae, loco in Normannia, Galliae provincia sito, Lyranum nuncupant. Susceptus est in ordinem monachicum eum, cuius Franciscus ab Assisi extitit condi-

67) Exstiterunt, qui vellent, explanationes esse ab Hervaeo Cenomanensi, duodecimum per saeculum vita fruito, profectas. Saltem ne Mabillonius quidem explanationes archiepiscopo Cantuariae assignavit; vide Act. 55 Ord. Benedict., tom. IX, pag. 631.

tor. Nicolaum esse iure suo doctorem theologiae planum et utilem vocitatum, indicio sunt illius in universa biblia postilla [68]), quae bibliis maximis, anno 1660 publicatis, continentur. Occurrunt quodam loco postillorum haec verba: „volentibus proficere in studio sacrae scripturae necessarium est incipere ab intellectu sensus litteralis; maxime quum ex solo sensu litterali, et non ex mystico possit argumentum fieri ad probationem vel declarationem alicuius dubii." Et vero litteralis sensus scripturae sacrae haud raro ad voluntatem attingitur Lyrano [69]), anteque oculos lectorum sistitur, etiamsi ne Lyranum quidem deficiunt mystici generis explanationes. Arduum postillatoris opus, ab a. 1293 — 1330 pertextum, adeo profuit ad sacra purganda Luthero, ut XVI saeculo dictum a quodam sit: „si Lyra non lyrasset, Lutherus non cantasset."

E numero Carthusianorum monachorum Dionysius a Ryckel, oppidulo, quinto decimo saeculo fuit. A Trithemio pag. 175 libri de scriptor. eccles. appellatur „vir in divinis scri-

---

68) Vocula „postilla" dissolvi potest in „post illa verba scripturae" sacrae, talesque interpretationes denotare, quae biblica ad verba accedant proxime et litterales sint, vel quae iuxta vulgatae, quam vocant, vocabula ab auctoribus dictatae sint.

69) Inscriptum est Parisiensi sepulcro Lyrae: „postillavit biblia ad litteram."

ıris studiosissimus, et continua exercitatione ritus, saecularis quoque philosophiae non ıarus, ingenio subtilis" caet. Commentarii universos scripturae sacrae libros a Carthu- no illo concinnati. Commentario in episto- a ad Colossenses, etiam a. 1553 Coloniae im- esso, Dionysius interdum acu tetigit rem, ıdoque simplici et practico explicuit.

Erasmus in Novum Testamentum scripsit notationes philologicas, patristicas, subtiles, c spinosas tamen. Publici iuris factae pluries nt, ut a. 1540, Basil.

In quarto tomo operum Philippi Melanch- onis, Vitebergae a. 1577 editorum, Viri reve- ndi enarrationes epistolae ad Colossenses ex- ıt. Principalia effata Pauli quum practica m vero theoretica grammatice, dialectice [70]), curate, magna cum παῤῥησίᾳ exponit [71]). Phi- ıpi commentarius pulcherrimum est comple-

70) De sententia Melanchthonis dialectice est ars recte, dine et perspicue docendi, quod fit recte definiendo, divi- ndo, argumenta vera connectendo caet.

71) Melanchthonis explanatio epistolae ad Colossenses ernaculam in linguam ab Iona translata; translationi a. 529 Vitebergae typis exscriptae Lutherus id adiecit praelo- nium: „Da habt Ir abermal ein feines nützliches Buch, mein eben Freunde, Nemlich S. Paulus Epistel zu den Colossern, mit I. Philippi Melanchthonis anweisung vnd vnterricht, darinnen ır fein, kurz vnd doch deutlich vnd reichlich gefasset ist, was eine hristliche lehr vnd leben sei, das wol diß Büchlein ein groß Buch nd wiederum diß Büchlein ein klein Büchlein heissen mag, vnd

mentum annotationum, quas modo significavi, Erasmi. Nec potest illo falsa declarari gravis Melanchthonis vox, „ego mihi ita conscius sum, non aliam ob causam unquam theologica tractasse, nisi ut vitam emendarem."

Huldrichus Zwinglius expositiones evangeliorum et apostolicarum epistolarum fecit, tom. IV opp. reformatoris sacrorum, Tiguri a. 1545 ed., exhibitas. Operam navat Zwinglius grammaticae interpretationi iudicioque ut interpres valet.

Ioannes Buggenhagen, collega Lutheri, complures in epistolas Pauli, etiam epistolam ad Colossenses conscripsit annotationes, quae Basil. a. 1525 foras datae. Urgentur a Pomerano imprimis Lutherani systematis theologici decreta.

Wolfgangus Musculus (Meusel), Dusanus, contexuit commentarium in epistolas Pauli ad

---

ein jeder bey sich jm Busen als seinen Christlichen Schatz teglich tragen kann. Ich habe zwar selbs solche M. Philips Bücher lieber, denn die meinen, sehe auch lieber dieselben, beyde im lateinischen vnd deutschen auff dem Platz, denn die meinen. Ich bin dazu geboren, das ich mit den Rotten vnd Teuffeln muß kriegen, vnd zu Felde ligen, darumb meiner Bücher vil stürmisch vnd kriegerisch sind. Ich muß die Klötze vnd Stemme außrotten, Dornen vnd Hecken weghawen, die Pfützen außfüllen, vnd bin der grobe Waltrechter, der die Ban brechen vnd zurichten muß. Aber M. Philippus fehret seuberlich vnd still daher, Bawet vnd Pflantzet, Seet vnd begeust mit lust, nach dem Gott jm hat gegeben seine Gaben reichlich. — Welch ein Schatz solt es aller Welt gewesen sein für 20 Jahren, wo man ein solch Buch hette mügen haben."

Philippenses, Colossenses, Thessalonicenses, priorem ad Timotheum; estque commentarius defuncto Musculo, a. 1565 per filium publicatus. Musculus, a nonnullis reformatos inter theologos collocatus, excellit eo, quod apostoli ideas studiose inquirit, ac ratione sua illustrat.

Cognomento magni theologi condecoratus recte est Ioannes Calvinus, Noviodunensis, in N. T. interpretibus facile classicus. Deprehendas in volum. VII operum Calvini, quae a. 1671 sunt Amstelodami vulgata, viri expositionem epistolarum apostolicarum. Calvinus homini nemini obnoxius, spiritualem mentem Pauli acute perspicit saepissime, et eleganti lingua ita clarum reddit, ut lectoribus non modo quasi theologis, sed etiam, quatenus mere Christiani sint, satisfiat.

Georgio Maiori, Melanchthonis auditori, dogmatica est parata epistolae enarratio, Vitebergae opinor edita.

Item disciplina Philippi duo sunt theologi usi, sibi vehementer adversantes: alter est Victorinus Strigelius; docuit is theologiam in academia non una, scripsitque „ὑπομνήματα in omnes libros Novi Test., quibus et genus sermonis explicatur, et series concionum monstratur, et nativa sententia testimoniis piae vetustatis confirmatur;" foras sunt missa Lips. a. 1564. Adhibet Strigelius paucis illustrando

Novo Foederi Hebraicos scriptores et Graecos. Iusta Ernestii [72]) opinione permulta melius Erasmo illustrat. Alterum dico Matthiam Flacium Illyricum, magistrum theologiae aliquando Ienensem, abs quo is liber fluxit: „Novum Testamentum Iesu Christi, filii Dei, ex versione — Erasmi —, innumeris locis ad Graecam veritatem genuinumque sensum accommodata, cum glossa compendiaria Flacii," a. 1570 impressum. Aggreditur Flacius secus sentientes, et est omnino in tractandis sacrae scripturae locis prolixior [73]) paulo; veruntamen de multis et biblicis effatis apposite probabiliterque disserit doctissimus interpres [74]).

Utilitatem non exiguam Zanchii praestat in epistolas ad Philippenses, Colossenses et Thessalonicenses commentarius, vulgatus a. 1595.

Aegidius Hunnius, sacrarum litterarum professor Vitebergensis, ad plerasque epistolas

---

72) Cf. Eius institutionem interpretis N. T. edit. II, pag. 182.

73) Breviloquentia nec non grammatica interpretatione insignis est Ioachimi Camerarii commentarius in Novum Foedus. Camerarius, Melanchthonis amicus, Graecae Latinaeque linguarum professor fuit eruditissimus, quin polyhistor.

74) S. V. Twesten tomo I seiner Vorlesungen über die Dogmatik der evangelisch-lutherischen Kirche pag. 252 not. praeclare: „Flacius — (ein Mann, dessen große wissenschaftliche Verdienste man über die hinlänglich gebüßten Fehler seines polemischen Ungestüms nicht so ungerecht vergessen sollte)" caet.

Pauli condidit commentarium, tom IV opp. Hunnii Latinor., quae Vitebergae lucem adspexere, insertum. Verum est, carere Hunnium interpretem interpretandi libertate iusta, utpote qui vinculis dogmaticae Dr. Martini constrictus sit, eamque vel in textum laboret inferre. Sed, ut praetermittam moralia, quae commentario immista sunt vere proba, dogmaticis quoque notionibus Aegidii egregie non raro afficitur animus, nominibusque nonnullis exegeticum illius opus anteponam Nicolai Selnecceri commentario in epistolas Pauli, Lips. 1591.

Novum Domini nostri Iesu Christi Testamentum, Latine iam olim e vetere interprete, nunc denuo a Theodoro Beza versum, cum eiusdem annotationibus, in quibus ratio interpretationis redditur, ed. 1598. Est, ubi Beza Calvinum, valde sibi cultum, sectetur, quomodo Piscator rursum heic ibi Bezae vestigia insequitur; saepius tamen sui est iudicii. Ampla Hebraicarum et Graecarum litterarum cognitione instructus, Beza vocabula Pauli et dictiones e cohaesione sua et eleganter explanat, atque istiusmodi quidem eloquia Paulina, quibus suum opinatur systema dogmaticum stabiliri posse, ingeniose fuseque, quamvis non semper recte.

Ioannes Piscator, qui sacram disciplinam Herbornae Nassoviorum docuit, concinnavit commentarios in omnes libros Novi Testamenti.

eosque Herbornae a. 1638 tertio divulgatos. Incumbit in litteralem exegesin et analysin bonam Novi Instrumenti; quidquid proloquitur, magna ex parte simplex ac perspicuum est. Nec Guilielmus Estius, Cancellarius Pontificius, male de Paulo melius intelligendo meritus est, commentarium adornans in Pauli epistolas, a. 1661 Parisiis foras emissum.

Praeterea de Pontificiis theologis exegeticis est Cornelius (vom Stein) a Lapide collaudandus, Iesuita, qui exaravit in partes bibliorum plurimas commentaria. Quae epistolas Pauli omnes spectant, a. 1658 singulatim in vulgus edita, ac praestabilioribus libris Cornelii accensenda sunt. Gerit sese eum, qui scripta interpretum Novi Testamenti et antiquorum et recentiorum cognoverit; at non perpetuo eum, qui optimas explanationes eorum suas faciat, licet facultate quapiam iudicandi carens non sit. Magnos sacrorum Christianorum reformatores frequenter oppugnat.

Ioannes (van der Driesche) Drusius conscripsit annotationum in totum Novum Testamentum libros decem, Franequerae a. 1612 et 1616 publicatarum. Argumento sunt annotationes, auctorem eximium fuisse, si sacras vetustatis linguas et profanas respicias, philologum; satisque planum faciunt, quid sibi velit Paulus. Theologo ei reformato adiungimus Arminianum sive Remonstrantem,

Hugonem de Groot, abs quo annotationes in Vetus et Novum Testamentum a. 1641 Paris. emissae, manarunt, per quas gloria viri multa cepit incrementa. De notis ad scripta Pauli ut videamus, Grotius sane ingeniose et cum insigni doctrina eademque multiplici, verba illustrat apostolica. Ἐξήγησις Grotiana grammatico-historica est, liberalis, ut ne haereseos quidem speciem refugiat. Fuerunt, qui Papisticas Socianasque exprobrarent viro interpretationes. Nolumus negare, sat multas esse a vero recedentes et infirmas propositas Grotio interpretationes, quae ab Abrahamo Calovio, theologo Vitebergensi, et dogmaticae γνησίως Lutheranae professore, sub censuram vocatae, neque immerito reprobatae sint, etiamsi in universum existimanti in Calovio tanta non est interpretandi dexteritas et linguisticae eruditionis copia, quanta in Batavo illo theologo (Grotius Delphis natus). Peregit, quod monui, Calovius in opere aliquo, amplam auctoris scientiam historico-ecclesiasticam comprobante: biblia Novi Testamenti illustrata, in quibus emphases vocum ac mens dictorum genuina e fontibus, contextu et analogia scripturae sacrae eruuntur; versiones praecipue cum Graeco textu, vindicata ubique huius sinceritate, conferuntur; expositiones quum veterum tum recentiorum interpretum expenduntur caet. Dresdae et Lips. 1719.

Ioanni, episcopo Salisburiensi reformato, commentarium in epistolam ad Colossenses acceptum referas, qui a. 1646 Amstelod. prodiit. Perscriptus est latius; verum in eo tamen multi patrum ecclesiasticorum loci, neque inepte ii laudantur.

Ab Erasmo Schmidtio, linguae Graecae in academia Vitebergensi professore, profectum est opus sacrum posthumum, in quo continetur versio N. T. nova, ad Graecam veritatem emendata caet., a. 1658 edit. Norimb. Notae in Novum Testamentum, quas operi inseruit Schmidtius, consuetudinem sermonis Graeci respiciunt.

Ioannes (Cock) Cocceius Bremensis, professor Franequerae, systemati Calviniano, sed non servi instar deditus erat. Commentario in litteras ad Colossenses, quem confecit, praebuit sese theticum seu systematicum theologum, quo quidem nomine Grotio penitus est oppositus. Quod dicta Pauli accipit fere ad litteram (habetur commentarius in operibus Cocceii theologicis omnibus, cura Henrici Cocceii editis), praedicandum. Perfecit Cocceius, ut sacrae scripturae studia coaevi amplexarentur studiosius.

Sebastianius Schmidtius, quem compertum est Argentorati professorem fuisse theologiae, stetit a Lutheri partibus atque in epistolas divi Pauli ad Romanos, Galatas et Colossenses concinnavit commentarios, qui una

cum

cum paraphrasi epistolarum Pauli aliarum a. 1644 Hamburgi exivere. Non destitutus fuit Sebastianus necessariis ad explicandum Paulum cognitionibus; amans fuit scientiae de religione Christiana subtilioris, et effata Pauli, quo argumento essent, animum bene attendit.

Georgius Calixtus, ornamentum universitatis litterariae Helmstadiensis, quum theologus liberi profecto, sed evangelici plane spiritus esset, interpretibus aliis in enarranda epistola ad Colossenses se quidem haud emancipavit; non coacte, expedite, plerumque paucis dicta explanavit apostolica. Calixti in epistolam expositio litteralis, quam inter lectiones eius academicas calamo exceptam perhibent, foras data est post medium septimum decimum saeculum.

Franckius in monitis suis pastoralibus theologicis, edit. II, pag. 46: „Ich muß noch, inquit, dieses gedenken, daß die epistolas Paulinas mit rechtem Nutzen zu traktiren, ihnen (scil. pastoribus ecclesiarum) sonderlich behülflich seyn werden des seligen Doctor Speners Auslegungen der Epistel an die Galater, an die Epheser, an die Colosser" caet. Philippi Iacobi Speneri opus vehementer facit *πρὸς οἰκοδομὴν* lectorum; *τὸ πλήρωμα τοῦ πνεύματος*, quod erat in Spenero, proditum in commentario.

Ioan. Christ. Schomeri exegesis in epistolas Pauli minores, ed. Rost. 1700, breviores continet simplicesque, sed non improbabiles observationes.

Salomonis van Till, Batavi, cui Coccejus, tanquam interpres scripturae sacrae, praeplacuit, fertur commentarius in quattuor epistolas Pauli, priorem nimirum ad Corinthios, Ephesios, Philippenses, Colossenses. Is a. 1726 Amstelod. in vulgus editus, prolegomenis ad epistolam Colossensibus datam est non exilibus neque indoctis instructus.

Ioachimi Langii Apostolisches Licht und Recht in Erklärung aller apostolischen Briefe, Halae a. 1729 ed. Commentarium paulo verbosiorem esse, quam fas sit, non diffiteor. Caeterum auctor, qui ut professor Halensis et ante evasit Spenerianae theologiae amicus, quemadmodum, ut ipsius verba usurpem, „solido gratiae gustu" fruebatur, sic vim vocularum biblicarum notionumque perbene illustrat saepius, quaeque ponit, nonnumquam tum sensus Christianos tum humanam rationem satiant.

Ioan. Christophor. Wolfius, ab a. 1716 pastor ad D. Catharin. Hamburg. ac Scholarcha, curas scripsit philologicas et criticas in Novum Testamentum, de quibus, quae litteras ad Colossenses concernunt, tom. IV, Basil. 1741 publicato, reperiuntur. Eo tomo, quid praestiterit Wolfius, indicat titulus: „integritati contextus Graeci consulitur, sensus verborum ex praesidiis philologicis illustratur, diversae interpretum sententiae summatim enarrantur, et modesto examini subiectae vel approbantur vel

repelluntur." Curarum opus eximia cum diligentia a Wolfio, bono litteratore et grammatico Novi Testamenti interprete, consummatum, nisi quod aliorum interpretum sententiis, quas collegit, non continenter eam addit epicrisin, in qua conquiescere sustineas. Praeclare ageret, qui denuo opus emitteret ita, ut, quaecunque memoriae nostrae conducunt, excerpsisset et coacervasset, oblivioni traditis, si qua etiamnum utilitati esse nequeunt.

Ioan. Alb. Bengelii Gnomon Novi Testamenti, in quo ex nativa verborum vi profunditas, concinnitas, salubritas sensuum innuitur. Reiterata est libri editio a. 1759 Tubingae. Theologus ille pius, utque plurimum sacram scripturam reveritus, in exponenda ea mirificae artis exquisitaeque fuit doctrinae, vocabulis paucis multa dedit et ingeniosa, eaque re, quia, quae vocibus apostolicis ideisque insint, strictim indicant Bengelii ad Testamentum Novum notae, nomen Gnomonis (Γνώμονος, indicis) ab ipso sortitae sunt.

Qui Theologiae professor Halensis exstitit, Baumgartenius, in vernacula exegesi epistolae Colossensibus missae textuale corpus Pauli copiosius tum denique interpretatur, postquam non absque quodam iudicio particulatim dissecuit. Anatome hac biblica, si abstinuisset auctor, animos lectorum magis credo teneret.

Christophor. August. Heumann, theologiae ab a. 1750 professor Gottingensis, emanare iussit eine Erklärung des Neuen Testamentes, quae duodecim continetur voluminibus. Non defecere Heumannum ingenium ac pietas, quippe dedicatione operis, ad Muenchhusium pertinente, ait: „Diesen meinen Zweck zu erreichen (i. e. daß ich die göttlichen Schriften immer mehr verstehen und Schriftgelehrter werden möchte) hatte ich nicht nur die vernünftigen Regeln der Auslegungskunst stets vor Augen, sondern bat auch den Geist der Weisheit fleißig, meine Bemühung zu segnen, und meinen Augen das rechte Licht zu schenken. Der alte Befehl der Weisheit: Bete und arbeite, muß vornehmlich denen vor Augen schweben, welche die göttlichen Schriften verstehen, und auch ihre Tiefen einsehen wollen. Der Geist Gottes stärkt nicht nur und erleuchtet den Verstand seiner Arbeiter, sondern reinigt auch die Affekten, welche an der Erkenntniß des wahren Sinnes hinderlich sind." Hic illic non modo probe videt Heumannus, an interpretes, quos multos affert, genuinos sensus Pauli perspexerint, sed etiam suo ipse Marte mentem apostoli solers intelligit, et oratione inaffectata explicat. Altera ex parte Heumannus crebro exprimit permultis verbis, quae exprimi paucis possint, ac sententiam Pauli proloquitur argutiis corruptam. Ipse tamen semet pro infallibili interprete non habuit.

Illi Uebersetzung der Neutestamentlichen Briefe, quam Boltenius, minister verbi divini, paravit,

subiectae sunt annotationes eatenus utiles, quatenus locutionibus interdum Paulinis lucem e vetustis Novi Testamenti translationibus clariorem adiiciunt.

Dr. Gottlob. Christianus Storr, excellens fulcrum ecclèsiae evangelicae, sensit haud dubie, quod Lutherus: „scriptura primum intelligi debet grammatice, quam possit explicari theologice" [75]). De interpretatione epistolae Colossensibus datae Storriana, theologus Tubingensis ut qui maxime singula religiose, subtiliter, erudite explanat. Heic ibi explicatio est subtilior, quam par sit, atque falsa. Ad haec nimius est Storrius neque semper felix in citationibus. Nihilosecius iure optimo refert Bertholdtus [76]), Storrii, quam memoravi, interpretationem „zu der auserlesenen exegetischen Literatur" epistolae ad Colossenses.

VII tomo Novi Testamenti, Koppio vulgati, epistola ad Colossenses Graece invenitur, perpetua annotatione illustrata ab Henrico Heinrichs, archidiacono ad aedem Sancti Ioannis Dannenbergae. Tomus a. 1803 Gottingae pro-

---

75) Melanchthon non semel vocem emisit: „omnis bonus theologus et fidelis interpres doctrinae caelestis necessario esse debet primum grammaticus, deinde dialecticus, denique testis."

76) Vide tom. VI der historisch kritischen Einleitung in sämmtliche Schriften des Alten und Neuen Testaments, pag. 3469.

diit in lucem. Nonnulla in epistola esse ab Dr. Heinrichsio reddita perspicua, quis neget? Quodque aliarum, a suis diversarum opinionum rationem habet, laudandum. At vero pluries talis interpretatio, quae ab arbitrio omni libera sit, apud Heinrichsium requiritur. Ab exegesi quidem Koppium Heinrichsio fuisse non inferiorem, persuasum mihi habeo.

Dr. Iunkeri Commentar über den Brief Pauli an die Colosser non est citra aliquam diligentiam et eruditionem nonnullam contextus. Desideres autem firmum in epistola exponenda fundamentum philologicum, necessariamque subtilitatem [77].

f) *Libri, quibus variae variorum in epistolam ad Colossenses expositiones collectae sistuntur* (σειραὶ, *catenae biblicae*).

Augustinus Marloratus, verbi Dei minister, diu in theologia versatus, pulchrum hoc opus consummavit: „Novi Testamenti catholica expositio ecclesiastica"; comparuit editio sexta a. 1605. In praefatione dicit auctor: „expositionem *ecclesiasticam* duplici ratione vocari

---

77) M. Michaël. Lilienthal in libro „mit möglichstem Fleiß und Richtigkeit" confecto, et qui inscribatur „biblischer Archivarius der heiligen Schrift Neuen Testaments" (editus est liber a. 1745 Regiomonti ac Lipsiae), pag. 631, 632 complures in epistolam ad Colossenses commentarios (at non subiuncto de iis iudicio) affert, quos ego hic commemorarem, per loci angustias non licuit.

operae pretium duximus; primum, quod ex iis scriptis excerpta sit, quae ipsi ecclesiae elaborata et consecrata sunt ab iis viris, qui omnes labores et studia sua fidei orthodoxae propagandae impenderunt, ob idque scriptores ecclesiastici merito censendi sunt; deinde, quod ad ecclesiam Christi merito pertineat, quo familiarem sponsi sui vocem intelligat, qui in caelis residens illam alloquitur, idque servorum suorum (hoc est fidelium ministrorum) opera, qui et hoc nomine divinae voluntatis interpretes ac reconciliationis inter Deum et homines nuntii in sacris litteris appellantur 2 Cor. 5, 20. *Catholicam* vero (id est universalem), quod universaliter ex omnibus probatis theologis collecta sit, nuncupavimus." Expositionum epistolam ad Colossenses spectantium scriptores hi sunt: (Pseudo) Ambrosius; Henricus Bullingerus [78]), Tigurinus theologus idemque Zwinglianus, qui non sine fausto eventu explicat Paulina; Calvinus; Chuonradus Pellicanus (vernacule Kirschner) Rubeaquensis [79]), item systematis Zwingliani studiosus professor theologiae, qui ita enarrat Paulum, ut *περικειμένων,* in quibus Paulus concinnavit epistolam, historicarum rationem habeat; Paraphrastes i. e. Rotterodamus

78) Bullingerus est ea ex urbe Helvetica ortus, cui nomen Bremgarten.

79) Aus Ruffach, Alsatiae loco.

Erasmus, Oecumenius; Melanchthon; Theophylactus; Pomeranus; Erasmus Sarcerius, cuius per interpretationes exacta producitur epistolicorum locorum scientia; Vitus Theodoritus, abs quo gravissimae explanationes nullae manavere; pluris faciendum, quicquid cum aedificatione lectoris de suo subiecit Marloratus.

Medio saeculo septimo decimo praeterlapso prodiit in Britannia sacer aliquis thesaurus, qui appellatur: „critici sacri, sive clarissimorum virorum in sacrosancta utriusque Foederis biblia doctissimae (eaeque tum critici generis, tum exegetici) annotationes, atque tractatus theologico-philologici." Cumulatae annotationes sunt ab „Ioanne Pearson archidiacono Surriensi, Antonio Scattergood ecclesiae Lincolniensis canonico, Francisc. Gouldmann ecclesiae Okendon Australis in comitatu Essexiae rectore, Richardo Pearson Coll. Reg. Socio." Insignis illius operis editio secunda Francofurti ad Moenum a. 1696 vulgata, tomoque quinto variorum habentur in litteras ad Colossenses annotata, nempe Laurentii Vallae, ad extremum canonici papalis, qui, Erasmo ipso iudice tam Graecae, quam Latinae linguae peritissimus, ex inspectis Novi Testamenti codicibus, Graecis praecipue, vulgatam versionem tractat, vituperat, eiusque mendas haud cunctatus tollit, rarius historicis observationibus adiectis; Iacobi

Revii, quem Vallae de collatione Novi Testamenti libros duo a. 1630 Amstelod. sic constat divulgasse, ut suas in Vallam notas addidisset, de quibus quaepiam, licet non summi momenti illae, sacros inter criticos receptae; Francisci Vatabli, cui, professori Hebraeae linguae Parisiensi, sanae sunt perscriptae notulae, quarum ope, quid aliquibus verbis ac phrasibus Pauli insitum sit, revera cognosci potest; Sebastiani Castalionis, Graecarum litterarum in academia Basil. professoris, qui Paulina complura sacrorum scriptorum et profanorum locis plana reddit; Isidori Clarii, episcopali apud catholicos dignitate ornati, abs quo notae non contortae saepenumero epistolae ad Colossenses adspersae; Nicolai Zegeri, qui, militans in castris Francisci ab Assisi, patristica pollet eruditione, neque inepta proloquitur; Drusii; Isaaci Casauboni, qui in capite Galliae Graecum sermonem docuit, cuique est familiare, quae Graecis ex auctoribus didicit, interpretandis Pauli dictis feliciter adhibere; Ioannis Cameronis, Scoti, pluribusque in terris doctoris theologici, qui quosdam locos philologice, animo systemati reformatae ecclesiae non penitus obnoxio, sciteque explanat; Ottonis Gualtperii, cuius una extat ad vocabulum *Χειρόγραφον* (II Coloss. 14) observatio, qua haud indoctum exhibet semet interpretem; Iacobi Capelli, professoris Sedani theologici, penes quem multa est lectio in Epi-

phanio aliisque antiquae ecclesiae doctoribus, et qui accuratis interdum et iis verum attingentibus expositionibus commendat sese lectori; Grotii, cuius observationes simul cum Erasmi notis spatium facile plurimum occupant, atque bibliothecae, de qua verba fiunt, exegeticae criticae insigni sunt decori. Tomo sacrorum criticorum, qui Francofurti conspexere lucem, septimo obviae sunt Francisci Lucae Brugensis, in sancta theologia Licentiati, notationes criticae ad I Col. 2 et II, 11. Nortoni Knachtbulli, baronetti Britannici, leviores ad nonnullos locos epistolae animadversiones, in volumine, quod sacris criticis supplementi instar est, deprehunduntur.

Matthias Polus, Londinensis, diligenter perlustravit melioris notae interpretes sacrae scripturae, omisit, quae viro iudicandi vi non destituto visa superflua, caetera vero eademque magnam partem praeclara elegit sibi, digessit apte, fideliterque claro hoc opere proposuit: „Synopsis criticorum aliorumque sacrae scripturae interpretum et commentatorum" [80]). Quinto volumine operis, inde a. 1678 Francof. ad Moen. denuo foras dati, habes criticorum commentatorumque super litteris ad Colossenses cogitata, qui quidem fere ii sunt: cuncti ad epi-

80) cf. praefationem ad lectorem, quam Polus volumini operis primo praefixit.

stolam critici sacri, quos supra nominavi, exceptis Clario, Gualtperio, Luca Brugensi; item Lyra, Camerarius, Calvinus, Strigelius, Zanchius, cui profundas notas nec non subtiles debeas; Beza; Iustinianus, cuius non multa verba epistolae sunt adiuncta, quem vero haud indoctum apostoli ethnicorum enarratorem extitisse, nos non praeterit; Piscator, Estius, qui fusiores ad epistolam annotationes scripsit; Vorstius, cui, quid sibi velint Paulina, non raro probe intelligitur; Stephanus Menochius, adscriptus societati Iesu, qui cum iudicio plerumque apostolica interpretatur dicta; Iacobus Tirinus, Iesuita ille quidem, sed in praestabilioribus exegetis litteralibus reponendus; Ioannes Davenantius, lectarum expositionum auctor; Dallaeus, in quo agnoscendum ingenium; Franciscus Gomarus, cuius quidem a partibus Calvini stantis theologi notas succinctas a Polo non esse praetermissas, laetabile, utpote quae curatae frequenter, atque religionis Christianae indoli congruae sint; Ioannes Lightfoot, cuius e chronico leguntur quaepiam, mihi quidem improbabilia, et si de aliis recentioris aevi exegetis, ne Polo quidem nuncupatis, aliquae in opere eius reperiuntur notulae. Ecclesiae patres ferme afferuntur, si recentioris memoriae interpretibus laudati sunt, velut Tertullianus ac Pseudo-Ambrosius e Beza, Origenes ex Erasmo, Eusebius e Zanchio, Chrysostomus, Theodoretus, Photius,

Oecumenius ex Estio, Augustinus e Gomaro, Hieronymus e Grotio.

Synopsis bibliothecae exegeticae in Novum Testamentum: „kurzgefaßter Auszug der gründlichsten und nutzbarsten Auslegungen über alle Bücher Neuen Testamentes" caet. Mit Beihilfe einiger Gelehrten von Christoph Starke, (initio) pastore zu Rennhausen, Leipzig 1733—1737. Tertio quidem tomo insertus commentarius est in epistolam ad Colossenses, a Georgio Starkio, filio editoris et theologiae candidato, elaboratus. Adest Lutherana epistolae versio, in quam inclusa est paraphrasis, qua textus versionis breviter, neque omnino male explanatur. Versionem prolixiores annotationes per sectiones singulares sequuntur. Denique consectaria ponuntur e dictis Paulinis seu Nutzanwendungen, „welche an die Hand geben, was an lehre, vermahnung, warnung, widerlegung und trost aus dem text fließet, und dazu soll gottselig angewandt werden." Annotationum respectu editor tomo I in dem Vorbericht operis universi biblici declarat: „es wird — vornehmlich das angemerkt, was einem andächtigen Bibelleser ein Unterricht und Anleitung sein kann, die h. Schrift recht zu verstehen, und was bei öffentlichem Vortrag göttlichen Worts mit Nutzen kann gebraucht werden. Von gelehrten critischen Anmerkungen setzet man die allein, welche den biblischen Worten ein wahrhaftiges Licht geben." Pectore sane Christiano Paulina saepe enarrantur, item haud βιαίως, ascetice, clare; philologice au-

tem et ex Iudaeorum Paganorumque scriptoribus raro: pertinet enarratio ad hominum quum theologorum tum non theologorum emolumenta. Nonnulla, uae inhaerent commentario in epistolam ad Colossenses, originem suam filio editoris debeant, permultae ἐξηγήσεις aliis e libris auctoribusque exegeticis petitae. Ut Spenerum ac reliquos, quos pluries iam memoravi, mittam, obvios se dant Tossanus, editor bibliorum, Ioan. D'Outrein [81]), Davides Knibbe [82]), Reinh. Hedinger [83]), Clem. Streso, Christophor. Wolle [84]), quin scholastici, ut Petrus Lombardus.

Die heilige Schrift des Alten und Neuen Testamentes nebst vollständigen Erklärungen derselben, welche aus den auserlesensten Anmerkungen verschiedener engländischer Schriftsteller zusammengetragen, und in der holländischen Sprache an das Licht gestellet, nunmehr

---

81) Conscripsit eine Zerglieder.- Ausbreit.- und Erklärung des Sendbriefes an die Colosser; Frankfurt 1696.

82) Est ab eo profecta: die Epistel des Apostels Pauli an die Colosser in CVIII Predigten erklärt; Frankfurt 1708.

83) Das Neue Testament caet., nach der Uebersetzung Dr. Luthers, mit ausführlichen Summarien, richtigen Concordanzien, nöthigen Auslegungen der schwersten Stellen aus — Luthers Randglossen und anderer bewährten Lehrer Anmerkungen genommen rel.; publicatum est opus, in quo pietistici sunt a Mayero Gryphico inventi errores, a. 1704, etiam 1711.

84) Streso meditationes concinnavit in epistolam ad Colossenses, Amstelod. 1708; Wolle de parenthesi sacra scripsit commentationem.

aber in deutscher Uebersetzung aufs Neue durchgesehen caet. worden, von Jacob Brucker, Pastor rel. in Augsburg. Tomo XVI, qui anno 1764 prodiit Lipsiae, occursant epistolae ad Colossenses et versio theotisca et ἐξήγησις. Utrique est praeposita introductio in epistolam, qua compositae sunt annotationes Lindsayi, Peircii, Whitbyi [85]): capita aliqua, ut de oppido Colossis, de repertae ibi ecclesiae conditore, curate tractata. Super pseudapostolis urbis Bruckerus, cui locus de pseudapostolis in deliciis est, subiungit quaedam lectu digna. Iam vero versio est litteralis, Bruckeri illustrata additamentis. Notarum in epistolam auctores Britannici sunt hi: Burkitt, qui bene observans singularum epistolae partium cohaesionem, iusta videt et practici generis expositiones profert; Gill, quem egomet neque in praestantissimis criticis epistolae, neque in exegetis eius pressa dicentibus collocem, cui sacrae tamen scripturae scientia et religiosi sensus proprii; Humphrey, rarius est allatus, nec tamen dat mala; Lindsay, in quo est subtilitas exegetica; Peirce, quum in auctoribus classicis, tum vero ecclesiasticis in patribus egregie volutatus, ostendit, dum Paulum exponit, acu-

85) Daniel Whitbyus, cui et variantes Millii in N. T. lectiones sub examen vocatae sunt, cantoris ad extremum munus ad ecclesiam Sarisburiensem administravit, a. 1726 denatus.

men mentis, immo ingenium, sed tamen audaciora quoque, cui equidem non adstipuler, eloquitur; Polus, per quem bene admodum enucleantur notiones biblicae, universimque manu non parca suppeditantur probabilia, etiamsi aliquos, quos est amplexus, errores, veluti de irresistibili gratia, obtrudere Paulo conatur; theologorum quaedam societas, quae perspicit apostoli mentem, proponit perspicue, et ea omnino ratione, ut Christiana vita promoveatur; Wall, non negligenda dicta proloquutus; Wels, qui inflammatus piis sensibus, sagacitate non caret, nisi quod nativas non ubique affert ἐξηγήσεις; Whitby, in exercenda critica cautus, cognitionibus patrologicis eminens, diligens neque aridus interpres. Sicubi Angli, Peircius verbi causa, assecuti non sunt veros sensus apostolicos, adeoque falsa pronuntiarunt, a Bruckero notis notantur singularibus, atque etiam corriguntur. Item habet ὁ ποιμὴν Augustanus Germanicorum interpretum rationem, nec diffitetur, paraphrasibus, Michaëli confectis, intelligentiam locorum Paulinorum sibimet esse procuratam. Quod optat, ut lucis pater e biblici, de quo dissero, operis usu multam sinat lucem in animis humanis oboriri, id, quamquam scio, opus esse verbosius, neque partes eius ad unam omnes in ordinem optimum digestas, crediderim evenisse, quin hodieque evenire, multoque eventurum magis, si quis

ea, quae opere continentur, bona a malis secerneret accurate, et seorsim publici iuris faceret.

g) De observationibus in epistolam ad Colossenses potioribus.

1) De iis, quae e scriptoribus Iudaicis petitae sunt.

Christianus Schoettgenius, rector scholae Dresdensis, divulgavit Dresdae a. 1733 horas Hebraicas [86]) et Talmudicas in universum N. T. Graecorum Latinorumque et orientalium auctorum comparaverat sibi cognitionem. Studuit divinas veritates, quas continet Novum Foedus (Schoettgenii sententia divinitus inspiratum), Rabbinis adiutoribus ἐρευνᾶν, easque et dictiones ipsas Rabbinica per monumenta explanare, suo ipsius iudicio non neglecto. Peregit laborem, quem Domini timore plenus aggressus erat, prospere, ut opus consummaret praeclarum, tantoque pluris aestumandum, quia aliquo cum taedio Rabbinicorum librorum lectio hic ibi iuncta est; profecto reperias in iis θεῖά τινα, sed nugas etiam et fabulosa. Quod restat, concedit Schoettgenius, ut ipsos inspexerit fontes Talmudico-Rabbinicos, varia tamen Witsio, Vitringae, Seldeno aliisque a se deberi.

Ioan.

---

86) Gregorius IX a. 1230, monachi Colonienses saeculo decimo sexto, Pius V a. 1559, concilium Avenionense a. 1594 Rabbinica adiudicata flammis voluere!

Ioan. Gerhard. Meuschen, officiis superintendentis generalis, uti aiunt, Coburgi functus, publicavit a. 1736 Lipsiae „Novum Testamentum, ex Talmude et antiquitatibus Hebraeorum illustratum curis clarissimorum virorum Balthasari Scheidii, Andreae Danzii et Iacobi Rhenferdi, una cum dissertationibus Meuschenii." Leguntur eo libro Scheidii, qui fuit Argentoratensis linguarum orientalium professor, annotata [87]) ad Novum Testamentum, speciatim ad II Coloss. 22; III, 19: apta omnino, quae Talmudicis e tabulis ad epistolae locos hosce observantur. At, quod praetermissi sunt ii potissimum loci, quibus τὸ θεῖον conspicuum imprimis est, quique difficultatibus sat magnis laborant, dolendum. Praeterea apud Meuschenium deprehunduntur Danzii V programmata de festo Iudaico septimanarum abrogato, et surrogato in eius locum festo pentecostali Christianorum, ad illustranda loca Act. II, 1 sq.;

87) Est annotatis is etiam titulus: „praeterita praeteritorum." A Scheidio impositum nomen est in memoriam Drusiani in Novum Testamentum operis: „praeterita." Drusius quidem ea de causa suum sic nuncupavit opus, quia illa duntaxat in eo excitavit scripta Iudaica, quae ab áliis viris doctis praeterita intellexerat. Scheidii praeterita praeteritorum efficiunt decimum proprie tomum amplioris alicuius Talmudico-biblici operis, cuius novem tomis prioribns Vetus Testamentum exponitur e Talmude, unde novem illi nucleus Talmudicus appellati; cf. anteloquium Meuscheniani, quem laudavi, libri.

Galat. IV, 9, 10, 11; Coloss. II, 16, 17 et Ebr. IX, 8, 9, 17. Monstrat Danzius, abs quo theologia linguaeque orientales in universitate litteraria Ienensi tractatae sunt, in programmatis lectionem Rabbinicam non exiguam. Magnum quondam lumen orientis dictus est.

Ioan. Ottius, senex octogenarius, congessit ex Iosepho [88]), quae duxit ad explanationem Novi Testamenti conducere. Sigebertus Havercampus, editis Iosephi operibus clarus, is fuit, qui, quae coacervasset Ottius, utilia, orante ipso publicaret libello quodam. Ampliores et accuratiores eae sunt observationes in Novum Testamentum, quas Krebsius, e Iosepho conquisitas, a. 1755 Lipsiae in lucem prodire iussit. Cum successu illustrat multa, quae in Novo Testamento obscura, effatis Iosephi, etiam Philonis cum consilio adhibitis.

Philone, qui nonnullis, quae dicit, immo dictione ipsa parum abhorret a Novi Foederis scriptoribus, usus est Benedictus Carpzovius, unus de theologis insignibus Helmstadiensibus, ad epistolas, quae Romanis et Hebraeis missae sunt, enodandas. Loesnerus autem fecit a. 1777

---

88) Propria Iosepho est eiusmodi ratio scribendi, quae populari captui accommodata est. E Graecis utique auctoribus, si explicando Testamento Novo usurpare decretum est, non omnes eligendi. Surenhusius in praefat. ad I partem Mischnae asseruit, probatissimos quosque scriptores Graecos a Novi Testamenti auctoribus distare.

ipsiae emanantes observationes ad Novum Testamentum, e Philone Alexandrino petitas. Quemadmodum magnam cum eo familiaritatem contraxit, ita Philonianis non sine quodam detactu et abundantia excitatis, rationes dicendi vocabula (unde rerum fluit intelligentia), alia Paulina facit plana; quin Aeschinis, quoque, Demosthenis, Ciceronis, aliorumque profanorum scriptorum loci eum in finem libro Loesneri inserti.

) De illis, quas interpretandae ad Colossenses epistolae viri docti ex auctoribus paganis cumulavere, observationibus [89]).

Lambertus Bos, Franequerae professor linguae Graecae, composuit si minus diffusa, luculenta, quae Demotsheni, Sophocli, Xenophonti [90]), Dionysio Halicarnass., Livio, reliquis debebat, unum in librum, potestatem verborum Paulinorum dilucide enarraturus; super horum explanationibus quae sensit, communicare cum lectoribus crebro non intermittit.

89) Erasmus ait de Hieronymo: „nullum omnino scriptorem praetermittebat, unde non aliquid decerperet, non ethnicos, non haereticos; — noverat e fruticibus melleum esumere succum; — ab Aegyptiis quicquid poterat corrasabat, hostium opibus domini templum locupletaturus."

90) Aristides de dictione simplici, cap. 10: „πανταχοῦ ἐν τῇ φράσει ἀφέλειαν μόνος ὁ Ξενοφῶν ἐργάζεται." Et dictio N. T. simplicissima.

Raphelii, qui divino verbo ministeria praestitit, annotationes in Novum Testamentum ex Xenophonte et Ariano [91]) collectae, a. 1715 et 1720 Hamburgi foras emissae. Excellebat Raphelius iudicio, animi vigore, doctrina ad auctores quum maxime Graecos pertinente. Raphelii opus operosa industria perfectum, assumptis, quae memorabilia apud Polybium [92]) reperiuntur. Liber a veritatibus sacrae scripturae adeo non abstrahit, ut affusa iis luce serena fervidiorem earum in lectoribus suscitet amorem.

Io. Alberti, professor Lugdunensis, qui novam editionem lexici Hesychiani, suis ipsius animadversionibus auctam, a. 1746 orbi theologico procuravit, observationes philologicas in sacros Novi Testamenti libros Lugduni Batavorum a. 1725 divulgavit, quibus observationibus cogitata ac verba sacra pluribus usurpatis scriptoribus enodantur.

Elsneri observationes sacrae in Novi Foederis libros, Traiecti ad Rhenum a. 1728 publicatae. Reveretur Elsnerus Novum Foedus, eiusque sensum acie mentis investigat, et exi-

---

91) Arianus quum monimenta ingenii Xenophonteis haud dissimilia condidisset, Xenophon Minor est vocatus.

92) Casaubonus ad vocem παραδειγματίσαι, inveniundam illam I Matth. 19: „sunt, inquit, et aliae quaedam voces in his libris (scil. Novi Test.), quas vel non facile alibi, vel nusquam frequentius, quam apud Polybium reperias, cuiusmodi sunt εὐδοκεῖν, ἀθετεῖν" caet.

miorum auctorum Graecorum, in quibus Elsnerus non est hospes, locos, quoad Novo Testamento similia exhibent, studiose ἐξηγήσεως ergo apponit.

Eiusdem inter non spernenda subsidia numerandae sunt Palaireti observatt. philolog. criticae in N. T. libros, a. 1752 Lugd. Batavor. in lucem editae. Decus Christianae religionis ut adaugeatur opusculo, pius auctor in optatis habet.

Kypkii, professoris olim Regiomontani, observationes sacrae in Novi Foederis libros, a. 1755 Vratislav. prodeuntes fuere. Voces Novi Testamenti, phrasesque praecipue eas, quas animadvertas difficultatem lectoribus movere, et in quas infrequenter, quin semel omnino incidas, talibus scriptoribus profanis, quibus nativum genus orationis in amore est, expedivit Kypkius. Inspice praefationem libri, quam sequitur multorum scriptorum, qui Kypkio praesto fuerunt, conspectus. Multa brevi ponit nova graviaque, gloriam Dei patris et Christi promoturus.

Petr. Keuchenii annotationes in omnes N. T. libros; auctior editio Lugd. Batavor. a. 1755 aspexit lucem. A S. V. Beckio part. I libri eruditissimi: „monogrammata hermeneutices librorum Novi Foederis," Keuchenii annotationes collocantur iis in scriptis, quibus instituitur: „comparatio versionum graecarum Veteris Test.,

quod ad verba, formulas, constructiones, sententias et res, laudationes V. T. in Novo Testamento attinet."

Ludovic. Bauer, A. M., scholae Hirschbergensis rector, quem neque mentis acumen, neque praestabiles deficerent cognitiones[93]), emisit Halae a. 1773 philologiam Thucydideo-Paulinam cum Thucydidea comparatam, eamque in usum exegeseos sacrae. Thucydidem adhibere ad evolvendum Paulum, quam bellum! quum a concinnitate ac breviloquentia tanta intercedat ambobus similitudo. Bauerus vero conciones solummodo Thucydidis, qua argumentum suum praecipue aptas, explanando Paulo usurpavit; quodque voluit, ut esset liber sacrae philologiae compendium et curate quidem digestum, me quidem iudice consequutus est.

XXVII. *Lutheri ad epistolam S. Pauli, Colossensibus datam praefatio.*

1. Gleichwie die Epistel an die Galater sich artet und gerathen ist nach der Epistel an die Römer, und eben dasselbe mit kurtzem Begriff fasset, das die an die Römer weiter und reicher ausführet: also artet sich diese an die Colosser nach der an die Epheser, und fasset auch mit kurtzem Begriff denselben Jnnhalt.,

93) Contexuit verbi gratia indicem Graecum sive glossarium Theodoreteum, quod quinto tomo editionis Theodoret., Halae iuris publici factae, videre est.

2. Aufs erste lobet und wünschet der Apostel den
olossern, daß sie im Glauben bleiben und zunehmen,
nd streichet aus, was das Evangelium und der Glaube
y, nemlich eine Weisheit, die Christum einen Herrn
nd Gott erkenne, für uns gecreutziget, der von der
Welt her verborgen, und nun durch sein Amt hervor-
ebracht sey. Das ist das 1. Cap.

3. Im andern Capitel warnet er sie vor Menschen-
hren, die allezeit dem Glauben entgegen sind, und
ahlet dieselben eben also ab, als sie nirgend in der
chrift abgemahlet sind, und tadelt sie meisterlich.

4. Im dritten ermahnet er sie, daß sie im lautern
lauben fruchtbar seyn mit allerley guten Wercken ge-
neinander, und schreibet allerley Ständen ihre eigenen
Wercke.

5. Im vierten befiehlet er sich ihrem Gebet, und
üßet und stärcket sie.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ

CAP. I EPIST. AD COLOSS. V. 1—14.

V. 1—2. Exhibentur epistolae inscriptio et salutatio apostolica.

V. 1. *Παῦλος*. Hoc nomen apostoli unde natum sit, quaerendum. Magnus episcopus Hipponensis, et qui illius adeo similis est, Dr. angelicus opinati sunt, Saulum, ut primum modo mirabili ex adversario Domini in sectatorem eius mutatus sit, ipsum nomen suum insignius (Saulus i. e. expetitus Hebr.) vertisse in obscurius *Παῦλος* (h. e. parvus), scilicet suam ut *ταπεινοφροσύνην* testatam faceret. At, ut omittam, opinionem haud esse nativam, si res sic se haberet, certo mirandum foret, quod apostolus in Actis apost. (XIII v. 7 sqq.) tum denique afficitur Pauli nomine, quum in Cypro insula doctrinam Christianam Sergio Paulo, proconsuli Romano, praedicaret, neque vero iam ab ea inde tempestate, qua Christi assecla evaserat. Mihi quidem duae de ortu nominis *Παῦλος* arrident prae caeteris rationes, quarum prior in Origenis anteloquio commentarii in litteras ad Romanos legitur, et

haec est: utebatur apostolus ab initio et Hebraeo nomine Saulus, siquidem Hebraeis e parentibus generatus erat, et Romano nomine Paulus, quando in urbe Tarsensi, colonia aliqua Romanorum, usuram lucis acceperat, Romanaeque civitatis particeps erat. Cum popularibus Iudaeis rem habens, continenter Saulus appellatus est; simul ut incepit Romanorum omninoque gentilium apostolus esse, interque eos est peregrinatus, Romano nomine Paulus nunquam non affectus ab aliis est. Alteram rationem dico hanc: proprio quidem et uno et Hebraeo, quod ipsis parentibus acceptum referebat, nomine, nuncupatus est Saulus. Quomodo autem Iudaei apostolicae memoriae haud pauci, qui conversabantur Graecis Romanisque, Hebraeum, quod tenebant, nomen in aliud gentibus suavius inflectebant [94]), sic apostolus quoque tunc demum, ubi contulerat sese ad Romanos Graecosque evangelio imbuendos, Iudaicum ipse nomen Saulus, quo tanquam barbaro Romani et Graeci oblectarentur parum, in Romanum et affine Paulus, quod blandius iis ad aures accideret, non sine quadam dexteritate immutavit. Eo etiam respectu gentilibus gentilis factus est, faciliorem quippe rei Christia-

---

94) Velut Hillel Iudaeus Iudaicum, quod habebat, nomen in Romanum Pollio flexit, Tarphon Iudaicum in Graecum Τρύφων.

nae aditum apud gentiles paraturus [95]). — Ἀπόστολος. Vocula (per Thomam Magistrum particula ὁ ἀπεσταλμένος exposita,) in specie usurpatur imprimis de duodecim confessoribus ac discipulis Iesu Christi insignibus, qui praeter reliquos iussi a Iesu ἀμέσως sunt, το εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ populis omnibus annuntiare, in iisdemque divinum regnum condere ac propagare, cf. III Marc. 13—19, VI Luc. 13—16; attribuitur et Paulo, cui Christus, maiestate divina iam ornatus, mandavit item ἀμέσως, ut excelsam illam longaque per tempora occultam doctrinam, secundum quam cuncti mortales fide in Iesu Messia collocata iusta redimi possent et salutem sempiternam assequi, praecipue cum ethnicis communicaret, I Corinth. 1, 2, II Corinth. 1, 1; I Galat. 1 cf. cum I Col. 25, 26. In genere designat vocula eum, qui fungitur legationis munere, ut XIII

95) Refert Origenes praefat. in explanat. epist. ad Roman., quibusdam visum esse, quod Pauli proconsulis, quem apud Cyprum Christi fidei subiecerat, vocabulum sumpserit sibi apostolus. Hieronymus in v. 1 epist. ad Philem.: „ut Scipio subiecta Africa Africani sibi nomen assumsit caet., ita et Saulus, ad praedicationem gentium missus, a primo ecclesiae spolio, proconsule Sergio Paulo victoriae suae trophaea retulit, erexitque vexillum, ut Paulus diceretur a Saulo" Iuxta rationem eam apostolus aliquam ex eo captasset gloriolam, quod proconsulem Christi fidei subiugarat; hoc vero, quam sit alienum a doctore illo apostolico, qui appellavit sese τὸν ἐλαχιστότερον πάντων τῶν ἁγίων (III Ephes. 8), quis est, quin videat?

Ioan. 8. — Ἰησοῦς, quo reddunt viri LXX Hebraeum יְהוֹשֻׁעַ I Hagg. 1, 12; id contrahitur in יֵשׁוּעַ, deducendum autem est ab הוֹשִׁיעַ. Denotat Ἰησοῦς eum, qui est σωτήρ, qui conservat, datque salutem. In Novo Testamento Ἰησοῦς est is, qui caelitus in terram detulit doctrinam Christianam, genus humanum eripit peccatis peccatorumque poenis I Matth. 21, et in aeternum salvat. — Χριστοῦ. Χριστὸς est a potestate idem cum ἠλειμμένος, Hebraeo מָשִׁיחַ (cui quidem interpretando viris LXX, IV Levit. 5, 16 al. adhibetur), Latino unctus. Nomine מָשִׁיחַ veniebat apud Hebraeos propheta I Paralip. 16, 22, sacerdos primarius IV Levit. 5, 16, prinpeps civitatis II Sam. 1; 14, 16, et quidem ex unctione illa, quae per sacrum oleum solemni muneris inaugurationé solebat institui. Iam vero Iesus homo volente eo, abs quo missus erat, Deo propheta erat (i. e. humanum genus Dei, divinae voluntatis, sui caet. cognitione instruxit rectissima), sacerdos (i. e. morte sua cruenta, qua Deo praestitit se sacrificium, hominibus remissionem peccatorum, Deique communionem procuravit), rex (i. e. gubernat eorum, qui fidem sibi praebuere, coetum universum): quae quum ita sint, poterat Christus dici sive Messias (I Ioan. 42) triplici hoc sensu, ut Iesus unus esset ἀντίτυπος trium Veteris Foederis typorum, prophetae nempe, sacerdotis, regis; quamquam nullus ego nego, quod habetur Nys-

senum apud Gregorium: „τῇ τοῦ Χριστοῦ προςηγορίᾳ κυρίως καὶ πρώτως τὸ βασιλικὸν διασημαίνεται κράτος": quod demirabitur nemo homo, qui reputat, munus Iesu regium unitatem, ut ita dicam, esse prophetici ac sacerdotalis. Caeterum regia illius unctio eo perfecta, quod Spiritus Sanctus, neque is ad mensuram impertitus ei est. — *Διὰ θελήματος θεοῦ*, ex voluntate Dei; pro loquendi ea formula, quae est eadem I Corinth. 1, 1; II Corinth. 1, 1, alibi obvia, legitur I Tim. 1, 1 *κατ' ἐπιταγὴν θεοῦ*. Declarat apostolus illa, non citra grave consilium posita, se quidem non proprio arbitrio arripuisse magnum munus apostolicum, sed volente Deo accepisse [96]), opponit sese pseudapostolis, in quos istud scilicet caderet, adstruit omnibus iis, quae his in litteris eloquuturus est, auctoritatem iustam et reverentiam. — *Τιμόθεος*. Unde in notitiam Colossensibus venit? Grotius si arbitratus est, fuisse Timotheum aliquando Colossas missum, desidero ego argumenta idonea, quibus suffulta sit opinio. Haud dubie pervenerat ad Colossenses nuntius, Timotheum in multis terrae tractibus orientalibus *σύνδουλον* Pauli extitisse. — *Ὁ ἀδελφός*. Vocem eadem esse hoc loco significatione, qua vocabula *συνεργὸς*, *σύν-*

---

96) Quum benignum fuerit hoc *θέλημα θεοῦ*, possis locutionem *διὰ θελήματος θεοῦ* interpretari: Von Gottes Gnaden.

δοῦλος (collega), probabile est Heinrichsio. At vero causam satis gravem non video, quare sit nobis recedendum ab usitata verbi notione, ex qua frater est Christianus. Pauli frater nominatur Timotheus, quia pariter atque Paulus per adhibitam Christo fidem, sanctumque Spiritum Deo regenitus erat, τέκνον θεοῦ, spiritualis frater Pauli evaserat. Fratrum et sororum nomina invicem sibi imposuerunt, qui prioribus imprimis tribus post Chr. n. saeculis fidem in eo reposuerant.

V. 2. Lectio in textum fere recepta est Κολοσσαῖς. Quoniam Polyaeno lib. VII, 16 excepto [97]), scriptores Graecorum et Romanorum suppeditant semper Κολοσσαὶ Colossae, atque adeo nummi oppidi Colossensis repraesentant ΔΗΜΟC ΚΟΛΟCΗΝΩΝ ac ΚΟΛΟΣΣΑΙ [98]) id certe putaverim apertum, Κολοσσαὶ eius oppidi unice rectam appellationem censendam. Sed num posuit Paulus etiam Κολοσσαῖς? Codic. A B C nec pauci alii minusculi, translation. Coptic. Syra utraq., Slav. pluresque patres Graeci lectionem Κολασσαῖς exhibent: ex quo verisimile, Paulo dictatum Κολασσαῖς [99]). Hae

97) Quid? ipso codice Flor. Κολοσσαῖς lectio obvia fuit, quam Corai in textum Polyaeni recepit.

98) Eckhelii doctrina numor. veter., part. I, vol. III, pag. 147.

99) Deprehendas lectionem Κολασσαῖς in iis Novi Testamenti editionibus, quas Erasmus, Boeclerus, Millius al.

ratione nomen urbis leviter elatum audierat forsitan, id quod non mirum, quum vocales α et ο in multis admodum linguis, etiam Graeca non raro permutarentur. Pro *Κολασσαῖς* autem irrepsit *Κολοσσαῖς* sensim sensimque in textum, quia scriptores profani plerique nomen urbis secunda in syllaba per ο scribunt, vel quia urbis nomen deducebatur ab illustri solis Colosso, quem in insula Rhodo reperires, et qui inter miracula mundi est relatus [100]). Rectius credo derivatur urbis nomen a vocabulo Colossus, quod nescio an nomen [1]) eius fuerit, cui Colossensis urbs originem suam debet; ni forte praeplacet Bertholdtium sequi, in seiner historisch critischen Einleitung caet. tom. VI, pag. 3443 declarantem: „ich möchte — — meine Entscheidung dahin geben, daß der Name der Stadt ursprünglich *Κολασσαὶ* (vielleicht in dem Sinne: fluvii combinati, von *κολλᾶν*, sich vermischen, weil in der Nähe sich der Lycus und Mäander vereinigten) hieß, in der Folge aber oft aus Nachlässigkeit *Κολοσσαὶ* geschrieben wurde." — *Τοῖς ἁγίοις*. Quatenus Hebraei e reliquis gentibus, mortua idola falsaque religioso cultu prosequen-

---

curavere. *Κολασσαῖς* probatum est Wolfio, ante eum Holstenio, Schwarzio, lexici in Novum Testamentum auctori.

100) Et Suidas Colossenses non alios, nisi Rhodios, indicavit.

1) Nomen Colossus in Graeca saltem antiquitate non avis alba fuit. Nomine Colossi gavisus quidam est, cui Lysippus, artifex statuarum, exstitit magister.

tibus segregati, et venerationi unius et veri Dei vivique consecrati erant, קְדֹשִׁים [2]) in Foedere Vetere dicti sunt. Post Christiani sunt etiam ἅγιοι vocati, sive ἡγιασμένοι, ἀφωρισμένοι τῷ Θεῷ, i. e. ii, qui impio mundo et immundo exempti, perque Spiritum Christi dicati Deo sunt, cuius populum efficerent dilectum. De πιστοῖς, Grotius ad I Eph. 1, Polus, quique sunt alii, vocem πιστὸς defendunt Hebraeo נֶאֱמָן (fidus, firmus) respondere: ita sermo foret de fratribus in sanctimonia constantibus, Christoque obstrictis. At ex analogia aliorum locorum: I Tit. 6; I Timoth. 4; 3, 10, 12; cap. 5, 16 al.; II Corinth. 6, 15 praestat statuere, voculam πιστοῖς, oppositam ἀπιστοῖς, idem valere, quod πιστεύουσιν, et particulam ἐν Χριστῷ, quam cum uno verbo πιστοῖς copulandam arbitror [3]), sumendam pro εἰς Χριστὸν; construuntur namque voces πιστεύειν et πίστις cum ἔν τινι saepissime, ita ut hoc τοῦ εἴς τι locum teneat, vide I Marc. 15; III Galat. 26; I Coloss. 4 al. Fratres significantur, qui credunt in Christum, sive qui persuasionem cer-

---

2) „קדש hat die Urbedeutung des Absonderns, Abgränzens." Sunt verba S. V. de Wettii ad XVI Psalm. 3.

3) Storrius, Heinrichsius, cl. Iunkerus locutionem ἐν Χριστῷ existimant tum ad ἁγίοις, tum ad πιστοῖς referendam: neque id improbabile, si praepositionem ἐν sumas cum Storrio pro nota Dativi, verbo quoque ἁγίοις accommodati, omniaque sic exponas: fratribus, qui Christo consecrati sunt et credunt Christo.

tam fovent et perspicuam, Deum propter perfectam, quam Christus legi divinae praestiterit, obedientiam (seu meritum Christi) donaturum sibi esse remissionem peccatorum et aeternam salutem. Caeterum subintelligi ad ἐν Χριστῷ debet aut ταῦτα γράφουσι, aut χαίρειν cf. I Iac. 1. Χάρις, Hebr. חֵן, חֶסֶד, Dei gratia, dilectio, benignitas, benivolentia, mortalibus haud promeritis in evangelio, per Christum facta conspicua. Ὁ νόμος cumprimis iustitiae divinae speculum. Εἰρήνη (scil. ἔστω vel πληθυνθείη, quod quidem posterius habes I Petr. 1, 2; II Petr. 1, 2) designat tranquillitatem conscientiae (XX Ioan. 19), cuius fons (ἀπὸ) est Deus, χάρις divina, generi lapso humano per Christum restituta. Non infitiamur tamen, posse vocem εἰρήνη prosperitatem hoc loco denotare, quum εἰρήνη respondeat verbo שָׁלוֹם in dictione שָׁלוֹם לָכֶם. — Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν. Potuit Deus vel a gentilibus pater hominum dici, quoad sicuti omnia, ita homines creavit conservatque; quin a gentilibus, preces fundentibus, patris nomine est reapse affectus. Verum enim vero heic Christianorum pater sine dubio nuncupatur propterea, quia eos peccatis ante a se alienos, ubi Christo Iesu habuerant fidem, ad interiorem secum communionem admisit, filiorum instar habuit, in universum immensa amplexatus est benignitate; ita I Rom. 7, VIII Rom. 15; II Corinth. 1, 2; IV Galat. 6. — Καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Desideran-

derantur verba in BDE, compluribusque codic. aliis, in translation. Syr. al., apud Origen., Chrysostom., Theophyl., Ambros.; quamobrem verba spuria suspicor esse, atque, uti Griesbachius fecit, omittenda censeo. Succurrit forsitan librario cuipiam, optare Paulum caeteris in epistolis, ut Christianis, ad quos epistolas dat, χάρις καὶ εἰρήνη non a Deo patre modo, sed etiam a Iesu Christo Domino contingant. Cauturus itaque librarius, ne epistola ad Colossenses reliquis epistolis ipso hoc respectu inferior, aut ne Paulus loco quodam neglexisse Christum videretur, formulam καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ ex epistola Paulina alia, immo vero, quomodo verisimile est, ex Ephes. I, 2 huic loco inseruit.

V. 3 — 8. Apostolus numini supremo grates persolvit pro fructibus, quos illud Christianae doctrinae praedicatione Colossis produxerat, spiritualibus. Gregorius Nazianzenus: „τάξις ἀρίστη παντὸς ἀρχομένου καὶ λόγου καὶ πράγματος, ἐκ Θεοῦ τε ἄρχεσθαι καὶ εἰς Θεὸν ἀποπαύεσθαι."

V. 3. *Εὐχαριστοῦμεν.* Vocabulum non de Paulo ac Timotheo capiendum, quod Burkittio placuit, verum de Paulo solo. Vide locum XVI isagoges. — *Καὶ* accipiendum ἐξηγητικῶς, ut nonnunquam Hebr. ו; τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ κ. τ. λ. pro τῷ Θεῷ, ὅς ἐστι ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Deus apud Iudaeos frequenter audiit

Abrahami, Isaaci, Iacobi Deus, i. e. Deus is, qui patriarchis imprimis favit, beneficiis affecit, per varios casus et tot discrimina rerum duxit incolumes. Appellatur Deus Iesu Christi Deus, quoad cum Iesu homine ἰδιαζόντως coniunctus est, et Iesus Deo praecipue fuit estque ἀγαπητός. Vocula κύριος utuntur viri septuaginta pro Hebr. יְהוָֹה XX Genes. 18, XVI Ierem. 21, XLII Iesai. 8, ubi uni sibi id nomen Deus tributum vult. Deus profecto in Novo Testamento nuncupatur κύριος, quum in rerum universitatem summum teneat imperium et auctoritatem maximam, ut leges Dei omnia sequantur oporteat, XI Matth. 25, I Luc. 6 al. Sexcenties etiam Iesu attribuitur nomen τοῦ κυρίου, iccirco saepissime, quia eorum omnium, quotquot fiduciam in Iesu suam reposuere, Iesumque profitentur, imperator est, perque evangelium suum ac spiritum rector, ut h. l., I Corinth. 1; 2, 3. — πάντοτε trahitur a Chrysostomo, Theophylacto, auctore eius, qui Anselmo Cantuariensi assignatur, commentarii, Bengelio, aliisque aevi recentioris tractatoribus ad προςευχόμενοι, unde is nascitur sensus: „dum semper oro pro vobis, Deo mea pro vestra salute vota in precibus aperio assidue, gratias ago" caet. Chrysostomus: „οὐ διὰ τῆς εὐχαριστίας μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς διηνεκοῦς εὐχῆς τὴν ἀγάπην δείκνυσιν, ὅτι καὶ οὓς οὐχ ἑώρα, τούτους εἶχε διὰ παντὸς ἐν ἑαυτῷ" (in pectore suo). Provocat Bengelius, structuram eam defensu-

rus, ad I Rom. 10, I Phil. 4: Verum oratio haud scio an maius ferat pondus, si vocabulum πάντοτε decreveris ad εὐχαριστοῦμεν spectare; confirmatur construendi ratio loco parallelo I Eph. 18. Ubi fundebat Paulus ad Deum pro Colossensibus preces, semper gratias etiam agebat Deo pro beneficiis illis, quibus Deus Colossenses dignatus erat, insignibus.

V. 4. Exponit Paulus specialius gratiarum actionis materiem: ἀκούσαντες iuxta Cornelium a' Lapide: „postquam audivimus" caet. Vertas aptius: „quia, sive, quum cognoverim" rel. — τὴν πίστιν ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Intelligunt Wels ac Peirce πίστιν constantiam Colossensium in vera et ea Iesu Messiae habita fide, abs qua ad circumcisionem ac legis Mosaicae observationem abstracti non sint. Sed non est, quod vulgarem relinquas significationem phraseos: innuit Paulus persuasionem Colossensium, Iesum esse Messiam genuinum, propter quem ac per quem largiturus sibi Deus sit universa bona caelestia. — τὴν ἀγάπην τὴν εἰς πάντας τοὺς ἁγίους. Caritas proponitur, qua Colossenses cunctos Deo sacros, i. e. homines Christianos, sive e paganis perducti ad Christum Iesum essent, seu ex Iudaeis, complexi sunt. Copulat apostolus caritatem cum fide. Nimirum fides germana est nunquam non πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη (V Galat. 6; cf. I Iacob. 22); haec ἀγάπη ad mortales utique omnes pertinet, ut

a Deo et καθ' ὁμοίωσιν Θεοῦ γεγονότας (III Iacob. 9); maxime vero, secundum apostoli ipsius (VI Galat. 10) praeceptum, debetur τοῖς οἰκείοις τῆς πίστεως, qui iidem sunt ἅγιοι.

V. 5. Ἐλπίς. Interpretanda vocula est metonymice de ἀγαθῷ ἐλπιζομένῳ et quidem, uti docet appositio ἐν τοῖς οὐρανοῖς (in caelis i. e. apud Deum, cf. XV Ev. Luc. 21), de vita, salute caelesti, quam speres, utpote a Domino promissam; ita est ἐλπὶς et II Tit. 13. — Τὴν ἀποκειμένην. Dicitur ἀπόκεισθαι de rebus (pretii haud parvi), quae diligenter reconduntur ac reservantur cuipiam, XIX Luc. 20: unde est apud Hesychium ἀπόκειται· ἡτοίμασται. Quod Paulus appellat ἐλπίδα τὴν ἀποκειμένην ἐν τοῖς οὐρανοῖς, id vocat ipse τὸν τῆς δικαιοσύνης στέφανον ἀποκείμενον II Timoth. 4, 8, id Petrus I Petr. 1, 4 κληρονομίαν ἄφθαρτον καὶ ἀμίαντον καὶ ἀμάραντον, τετηρημένην ἐν οὐρανοῖς. Iam vero Cocceius, Calixtus, Calovius, Elsnerus, Storrius, caeteri referunt vocabula διὰ τὴν ἐλπίδα κ. τ. λ. ad τὸ εὐχαριστοῦμεν v. 3; sic ageret Paulus gratias propter (seu pro) felicitatem, Colossensibus destinatam a Deo. Sed is modus construendi, quia habet coacti aliquid, ego cum Theodoreto, Erasmo, Calvino, Grotio particulam τὴν ἐλπίδα pertinentem ad proxime praegredientia malim, ut Paulus hanc ponat sententiam: „vos diligitis Christianos omnes non σαρκικῶν quorundam emolumentorum cupiditate, sed ut perveniatis olim

ad illam salutem, quae asservatur vobis in caelis. Desiderium salutis i. e. intimae cum Deo communionis affectus vestros, ut Calvini verbis utar, ad studia caritatis rapit" [4]). Proponit religio Christiana eudaemonismum aliquem (si barbare loqui concessum est), at *plane purum, spiritualem, divinum*, cf. III Col. 24, XI Hebr. 16. — Particula ἣν προηκούσατε ad Paulum quoque trahenda. Significatur: manere se in caelis salutem, innotuisse Colossensibus ante Paulum i. e. ante verba, quae illud attingant, ab apostolo facta. — Ἐν τῷ λόγῳ τῆς ἀληθείας τοῦ εὐαγγελίου ὁ λόγος est Bellesobrio et Infantio iudicibus „la prédication." Verum potest tamen vox commodissime esse doctrina, quomodo I Marc. 2, VIII Ioan. 31, II Philipp. 16. *Τῆς ἀληθείας* est per hebraismum positum, viceque adiectivi fungitur, *ὁ λόγος τῆς ἀληθείας* pro ὁ λόγος ἀληθινὸς: doctrina vera, et cui nihil plane mendacii inhaereat. Pulcherrima hacce et dulcissima appellatione Christiana fere doctrina ornatur (I Ephes. 13, I Iacob. 18), cuius fons ultimus est verus Deus, et quam Christus i. e. veritas, proloquutus est. Adiicit Paulus phrasin *τοῦ εὐαγγελίου* per epexegesin. *Εὐαγγέλιον* (ab

---

4) Pius Paschasius Quesnelius: „als ein Miethling thut man das Gute nur in Ansehung eines zeitlichen Lohnes, als ein Bürger des Himmels, als ein Kind Gottes handelt man, wenn man es nur in Ansehung des himmlischen Erbtheils, welches Gott selber ist, thut."

εὐαγγελίζεσθαι בִּשֵּׂר) quaelibet *ἀγαθὴ ἀγγελία*, Hebr. בְּשׂרָה, בְּשׂרָה טוֹבָה II Sam. 18, 57. Hinc in Novo Foedere doctrina ea, quae continet traditque laetum ac faustum nuntium de venia peccatorum aeternaque salute, peccantibus ideoque miseris mortalibus per Messiam Iesum acquisita, doctrina Christiana II Timoth. 1, 8, I Corith. 15, 1 al. Phavorinus: *εὐαγγέλιόν ἐστι κήρυγμα τῆς νέας σωτηρίας.* Quodsi dicit Paulus: „salutem paratam vobis esse, audivistis per (*ἐν* = בְּ) doctrinam veram evangelii," dicturus est: „eo, quod ab Epaphra vera vobis doctrina, qua evangelium continetur, tradita est." Hac ratione doctrina, quam discipulus ille Pauli communicarat cum Colossensibus, iustificatur i. e. iusta, divina declaratur.

V. 6. Evangelium, quod Epaphras nuntiaverat Colossensibus, divinum esse, duobus praeterea comprobatur argumentis, his nimirum, quod a Paulo aliisque in permagna *τῆς οἰκουμένης* parte promulgatum sit, et quod illic pariter atque inter Colossenses fructus produxerit uberes. *Τοῦ παρόντος εἰς ὑμᾶς.* Theophylactus, Coccejus, Bengelius, quique alii sunt, male reddunt *παρεῖναι* per: praesens esse, creduntque hoc sibi velle apostolum: „evangelium, quod iam adest apud vos" (*εἰς ὑμᾶς* pro *ἐν ὑμῖν*). *Παρεῖναι εἴς τινα* idem hic est, quod *παραγίγνεσθαι* (אָתָה) *πρός τινα*, qua quidem vi praedita venit dictio apud Polybium praecipue, cf. Raphelii anno-

tation. ex historico scriptore ad h. l. Sensus: „quod pervenit (particip. praes. tenet praeteriti vices) ad vos," quomodo in vulgata versione legitur. — *καθὼς καὶ ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ*: haec ad verba subaudiunt Zanchius et Storrius *πάρεστιν*, quod interpretantur „adest." Quoniam autem est molestum, verbum unum una in enuntiatione bis usurpatum duabus gaudere potestatibus diversis, mihi certe arridet *ἐστὶ* (quod vox *παρόντος* suppeditat,) et apud *κόσμῳ* subaudire. Fallitur Hezelius, loquendi formulam *ἐν παντὶ κόσμῳ* imperium duntaxat intelligens Romanum; eo videlicet, quo Paulus haec dictavit, quae tractamus, tempore doctrina Christiana non in Romano solum imperio, sed etiam extra fines eius, ut forsan apud Parthos, propagabatur. Habemus opinor vulgarem aliquam formulam dicendi, cui hoc tantummodo inest: „in bene multis terrarum orbis partibus est sive auditur evangelium." Ratione eadem particula *ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ* [5]) Rom. I, 8, cf. X Rom. 18, explananda. In Clementis Romani epistola excellenti I ad Corinth. dicitur (Paulus): „*κῆρυξ γενόμενος ἐν τῇ ἀνατολῇ καὶ ἐν [τῇ] δύσει, τὸ γένναιον τῆς πίστεως αὐτοῦ κλέος ἔλαβεν, δικαιοσύνην διδάξας ὅλον τὸν κόσμον.*" Quod reliquum est, ampla illa, quam Paulus h. l. significat, Christianae

---

5) Similiter pressa nolim Cyri vocabula, I Esr. 2 dicentis כָּל מַמְלְכוֹת הָאָרֶץ נָתַן לִי יְהוָה אֱלֹהֵי הַשָּׁמַיִם.

religionis propagatio, quae perquam brevi temporis spatio est consummata, profecto non opera unica humana, sed eius quoque adiutorio potenti perfecta est, qui suis sese *πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος* affuturum promisit (XXVIII Matth. 20), in cuiusque gratia acquiescere Paulus apostolus iussus est (I Cor. 12, 9). Post verba *καί ἐστι καρποφορούμενον* reperias *καὶ αὐξανόμενον* in ABCDEFG, neque paucis, qui minoribus exarati litteris sunt, codicibus; ad hoc leguntur in translation. Vulgat., Syr. amb., Arab., al., quin apud Chrysostom., Theodoret., Ambrosiast., Augustin., et si qui alii patres sunt, tum Graecae ecclesiae tum Latinae. In tot tamque gravium auctoritatum criticarum consensu, quis est, quin cum Bengelio faciat, particulam *καὶ αὐξανόμενον* Paulinam iudicante? Ea vero, quod requiritur hic illic, mirandum non veniet, si librariorum inter describendum cogitaveris incuriam. Iam sunt *ἐστὶ καρποφορούμενον καὶ αὐξανόμενον* usurpata pro *καρποφορουμένου καὶ αὐξανομένου;* scilicet genitivos eos propter illud, quod legeris, *παρόντος* exspectes. *Καρποφορεῖν* proprie adhibetur de terra fructus proferente IV Marc. 28; tropice de mortalibus, qui doctrina evangelica curate audita, intellecta, in penetralia animi recepta fructus edunt vitales, doctrinae eius ingenio convenientes, Deoque dicatos, cf. XIII Matth. 23, IV Marc. 20, VIII Evang. Luc. 15, VII, 4 Roman.

Postremo vocula καρποφορεῖν seu medium καρποφορεῖσθαι adhibetur de evangelio ipso, quatenus tamquam δύναμις θεοῦ, habita sibi fide, sanctam intentionem animi, ἔργα πνευματικὰ seu ἀγαθὰ, ἐπαινουμένην πολιτείαν (quemadmodum ait Theodoretus,) progignit. Αὐξάνειν augere, incrementa dare; αὐξάνεσθαι medii instar et eadem sumo significatione transitiva, qua accepi medium καρποφορεῖσθαι. Quia copulatis autem synonymis orationis adaugetur vis, apostolus talia credendus pronuntiare: „evangelium (permultis in terris) fert fructus plurimos, sive summe fructuosum est." Haec in universum dicta ad lectores epistolae primos applicantur per καθὼς καὶ ἐν ὑμῖν: „quomodo etiam inter Colossenses, in urbe ecclesiave Colossensi, scil. summe fructuosum est." Interpretatio dictionis ἐν ὑμῖν, ad quam denotat „inter vos," magis respondet vocibus ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ (apud participia ἐστὶ καρποφορούμενον καὶ αὐξανόμενον supplendis), quam versio „in vobis" (i. e. in animis vestris), quae apud Lanfrancum, Osiandrum, alios invenitur. — Ἀφ' ἧς ἡμέρας, notat Heinrichsii iudicio „inde a primo illo tempore," scil. quo estis conversi. Sed licet vocem ἡμέρα significatione prima, nempe de die, accipias. Eximia plane evangelii efficacia, quod extemplo extitit καρποφορούμενον, quum iusta esset acquisita scientia religiosa! — Ἐν ἀληθείᾳ. Ego Selneccero, Musculo, Zanchio as-

sentior, vocem ἀληθείᾳ exponentibus: „evangelium, quatenus nihil docet falsi." Χάριν τοῦ Θεου intelligo eam benivolentiam Dei, qua resipiscentibus mortalibus et in Christum credentibus veniam peccatorum regnique divini beatitatem gratuito est daturus. Hanc χάριν ex uno et vero evangelio percipiendam, qui *per praedicatum evangelium verum* perspexit, magnaque illa et ineffabilia accepit humiliter, quae iuxta illam χάριν Deus porrigere vult, is non potest non grato in Deum animo esse, ita ut θεοῦ δύναμιν, evangelio inhaerentem, operari in se patiatur. Huic ego particulae ἐν ἀληθείᾳ enarrationi aliam posthabeo, illi nimirum a simplicitate cedentem: dico eam, qua ἐν ἀληθείᾳ trahendum est ad τὴν χάριν, Paulusque vera Dei beneficia divina memorat, a Christo speranda. Explanationem tenes Peircii, Hombergkii, Moldenhaveri, Storrii.

V. 7. Heinrichsium τὸ καθὼς referentem ad ἐν ἀληθείᾳ, si sequare, hic enascetur sensus: „quomodo percepistis etiam ex Epaphrae ore non adulteratam falsamque doctrinam evangelicam, sed puram, veram." Verisimile est, veritatem doctrinae Epaphraticae Colossensibus quibusdam, qui pseudapostolis aures praeberent apertiores, in dubium vocatam. Fortasse Epaphras ipse eorundem astutia haereticorum a Colossensibus, quibus per Epaphram gloria Iesu Christi illuxisset, susque deque habebatur.

Scilicet in sequentibus id agit Paulus, ut conciliet Epaphrae auctoritatem apud Colossenses: veluti vocat *ἀγαπητὸν σύνδουλον ἡμῶν.* Fuit Epaphras vir, qui cum paganorum omnium apostolo Christianam propagaret doctrinam, quique illi *διὰ τὸ πιστὸν εἶναι* esset carissimus. Calovius: „Non pro conservo suo agnovisset (Paulus) Epaphram, si aliena dogmata proposuisset." *Διάκονος τοῦ Χριστοῦ* est is, qui Christo servit eo, quod divinam Christi doctrinam praedicat ac propagat. Eaque potestate est vox *διάκονος* III Ephes. 17, VI, 21; item locutio *δοῦλος Ἰησοῦ Χριστοῦ* I Tit. 1, I Philipp. 1. Lectione *ἡμῶν,* quam Griesbachius quidem putat receptae lectioni forsitan praeferendam, probata, Paulus haec proloquitur: „Epaphras, qui *mei loco* vestro in oppido, ut Christianae doctrinae praeco, fidus Iesu minister est." Verumtamen huic lectioni, quae nescio an per negligentiam librariorum ex antegresso *ἡμῶν* suborta sit, deest sat multorum testium gravitas. Receptam ego lectionem *ὑπὲρ ὑμῶν* cum illa *ὑπὲρ ἡμῶν* non permutem: Epaphras fidus Christi servus erat, fideliterque doctrinam proponebat Christianam in salutem Colossensium, quatenus (quomodo est in commentario, qui Cantuariensi Anselmo est assignatus), „non Colossensium quaerebat, sed Colossenses, non res eorum cupiebat acquirere, sed ipsos Deo adiungere," cuius in communione est felicitas sempiterna.

A praeconibus doctrinae Christianae hoc potissimum requiri, ut fideles sint in demandato sibi munere, Paulus docet I Corinth. 4, 2.

V. 8. Pseudapostoli forsan perfecerunt, ut Colossenses non iam diligerent Epaphram. „Quae hoc versu affert apostolus, faciunt ad benivolentiam Colossensium Epaphrae procurandam; quum audiunt eum optime erga ipsos affectum, et honeste de eis loqui." Vox est Flacii. — *Δηλώσας ἡμῖν τὴν ὑμῶν ἀγάπην.* *Δηλῶσαι* indicare, certiorem alicuius rei facere quempiam, ut I Corinth. 1, 11. Verbum illustratur ab Hesychio vocabulo *σημᾶναι.* *Ἀγάπην* Selneccerus de Colossensium erga Deum et proximum caritate; Cocceius, Menochius, Tirinus de dilectione Colossensium *εἰς πάντας ἁγίους,* v. 4 commemorata, capiunt. At vero hac illave approbata explanatione, mirum foret, quod reticet apostolus, semet etiam *τὴν πίστιν* Colossensium *ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* cognosse ex Epaphra, quam Paulus eandem sine dubio ex Epaphra cognoverat. In universum magis est nexui cum proxime sequentibus congruens, *ἀγάπην* de Colossensium in Paulum ipsum amore sumere, ut subintelligatur ad *ἀγάπην* particula *εἰς ἡμᾶς.* — *Ἐν πνεύματι.* Recte visum est Chrysostomo, Theophylacto, Vatablo, *τὸ πνεῦμα* accipiendum de *πνεύματι ἁγίῳ; ἐν* idem valet, quod *διὰ* cum Genitivo. Calovius: (significatur) „amoris principium." Indicavit Epaphras Paulo

Colossensium in Paulum caritatem, per Spiritum Sanctum, cuiusquemodi boni fontem, generatam (sanctam, divinam). Ἡ ἀγάπη τοῦ πνεύματος (uti ait Paulus XV Rom. 30, V Gal. 22,) βεβαία; fluxa est caritas ea, cuius accendit flammam impurà ac perversa hominis natura; vide Theophylactum ad h. l. Haec quidem interpretatio videtur mihi probabilior explanatione Cornelii Lapidensis, qui formulam *ἀγάπην ἐν πνεύματι* dilectionem esse vult, ex intimis *animi* penetralibus profectam, sinceram.

V. 9—12. Affirmat apostolus, precari sese Deum assidue, Colossenses evangelica intelligentia instruat affluenter, quam sequantur virtutes. „*Οὕτω*, inquit Chrysostomus ad v. 9 — *καὶ τὸ ἐγκώμιον οὐκ ἠφίει αὐτοὺς καταπεσεῖν καὶ γενέσθαι ὑπτίους ὁλοσχερὲς γενόμενον.*"

V. 9. *Οὐ πανόμεθα ὑπὲρ ὑμῶν προσευχόμενοι, καὶ αἰτούμενοι.* De verbo *παύεσθαι* neque cum infinitivo et cum participio copulato cf. S. V. Wineri Grammatik des Neutestamentlichen Sprachidioms § 39. *Προσεύχεσθαι*, nempe *θεὸν*, fundere ad Deum preces; potest esse bona ex Deo petere, ut XIX Matth. 13, IV Coloss. 3, h. l. (ubi iunctum habet *ὑπὲρ*, quum sit alibi compositum cum *περί τινος*), ac rursum deprecari mala, XXII Evang. Luc. 40. Est Hebraeorum עָתַר X Exod. 17, הִתְפַּלֵּל IX Deuter. 20. *Αἰτεῖσθαι* aeque ut *αἰτεῖν* ex hominibus petere,

deinde, ut Hebr. שָׁאַל I Sam. 20, ex Deo petere, precari Deum, tum boni cuiuspiam assequendi gratia, ut I Iac. 5, 6, VII Matth. 7, 8, 11; IV Iac. 2, 5, h. l., tum ut malum aliquod removeatur VI Matth. 8. Habentur verbis *προςευχόμενοι* et *αἰτούμενοι* synonyma, quibus coniunctis intenditur insita singulis his verbis potestas: Quum Colossenses fide Christiana et caritate vel erga Paulum, cuius consuetudine usi non essent, impleti essent, ne Paulus quidem, ex quo die praeclara illa ab apostolo Colossensium acceperat, Colossensibus, quamquam sibi *ἐν σαρκὶ* nondum visis, cupiens, destitit, *flagrantes* pro iis preces ad Deum mittere. Ita caritatem suam paternam opere caritatis vere Christiano aperuit. — *Ἵνα πληρωθῆτε τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ θελήματος αὐτοῦ. Πληροῦσθαι* abunde instrui, augeri aliqua re. Vulgo apponitur verbo genitivus aut dativus XIII Act. 52, II Corinth. 7, 4; adiungere accusativum absolutum (hic *ἐπίγνωσιν*, quod ad verbum Erasmus, Schomerus, alii praepositionem *κατὰ* solito sane interpretum more subaudiunt), rara, si Novum Foedus respexeris, construendi ratio. Chrysostomus: *„ἵνα πληρωθῆτέ φησιν, οὐχ ἵνα λάβητε. Ἔλαβον γάρ, ἀλλὰ τὸ λεῖπον, ἵνα πληρωθῆτε."* Vocabulum *αὐτοῦ* trahendum ad *τοῦ θεοῦ* v. 6: Deum patrem sibi designari, a lectoribus ex facili animadversum iri, duxit apostolus, quum, id quod acute vidit Heinrichs., *προςευχόμενον* et *αἰτούμενον*

modo se esset professus, et fere Deum patrem αἰτῶν esset. Pelagius quidem, Dionysius Carthusianus falso h. l. statuunt, esse θέλημα complexum mandatorum seu voluntatem Dei, quam nos sequi velit Deus ad salutem nostram. Laudat Pelagius effatum prophetae: „doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es." Ex I Ephes. 9, 10; II Coloss. 2 verisimile fit, vocem θέλημα innuere sublimem Dei βούλὴν, mortales omnes propter Iesum Messiam in gratiam secum reconciliandi, et ad aeternam suam βασιλείαν perducendi. Est vero decreti illius cognitio profunda et clara dubio procul salvificae fidei pars. — Ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ συνέσει πνευματικῇ. Sumpserim praepositionem ἐν pro εἰς, quocum haud raro (I Corinth. 7, 15, I Thessalon. 4, 7) permutatur; item Hebr. בְּ ponitur pro אֶל (XII Hos. 7). Declaraturus est apostolus, ad quid expediat ἡ ἐπίγνωσις τοῦ θελήματος τοῦ πατρὸς ἡμῶν. Πᾶς omnis generis, varius, vel potius pariter atque lat. omnis: summus, ut v. 11. Σοφία et σύνεσις Michaëli, Storrio, Heinrichsio verba existimantur synonyma, quibus compositis, si certe Michaëlem audias, sapientia (doctrina evangelica) significetur. Verum nullus tamen video satis iustam rationem, cur vocabula, quorum sua cuique et propria vis aliis est locis subiecta, hoc potissimum synonyma iudicentur necesse sit. Hammondus, Vatablus, Hunnius, Zachariae, cl. Wahlius interpretantur quidem σοφίαν

rerum divinarum cognitionem, ac σύνεσιν prudentiam in rebus iudicandis conspicuam. Nec diffiteor, et σοφίαν et σύνεσιν eos posse significatus tenere. At hic displicet enarratio. Quippe si hoc cum loco contendas II Coloss. 3, vocula σύνεσις occursanti ibi verbo γνῶσις respondet sine dubio, probabiliterque de intelligentia Dei, omnino caelestium rerum (ἐπιστήμη) capitur, ut II Timoth. 2, 6, III Ephes. 4. In quo si acquiescere placuerit, σοφία sapientia erit ea, qua optimis utare adminiculis ad optimos, quos elegeris, fines consequendos, ita VI Act. 3, VII, 10 al.; σοφία idem, quod I Ephes. 8, parallelo loco, φρόνησις, Hebr. חָכְמָה. Adiectivum πνευματικῇ debet ad σοφίᾳ καὶ συνέσει referri. Πνευματικῇ ab Heinrichsio in hunc explanatur modum: (doctrina) „quae pertinet ad πνευμα i. e. relig. Christianam, quae circa πνευμα versatur, non circa emortuas litteras, γραμμα." Explanationem existimo non satis nativam. Proponuntur apostolo sapientia atque intelligentia eiusmodi, quarum fons Sanctus Dei Spiritus est, quae divinae sunt: et refragantur eis σοφία καὶ σύνεσις ψυχικὴ, ἐπίγειος, ἀνθρωπίνη, σοφία καὶ σύνεσις τοῦ κόσμου sive τοῦ αἰῶνος τούτου. Amota a Colossensibus optat apostolus figmenta ista humana, quibus pseudapostoli deceperant aliquot Colossenses, φάσκοντες εἶναι θεοῦ σοφίαν, tametsi erant μωρία τῷ θεῷ. Calvinus: „quamdiu homines reguntur carnis suae sensu, habent

ent ipsi quoque suam sapientiam; sed quae ιera est vanitas, utcunque in ea sibi pla- ɔant."

V. 10. Vocibus ἐν σοφίᾳ καὶ συνέσει πνευ- ιτικῇ ita est infinitivus περιπατῆσαι iungendus, : ante eum particula εἰς τὸ, id quod iam Knacht- ɪllus faciendum sibi putavit, subaudiatur, ıae ἔλλειψις in Novo Testamento frequentis- ma. Περιπατεῖν ambulare; deinde, adinstar ebr. הִתְהַלֵּךְ, vitam agere, concinnare se in ta, quomodo II Corinth. 5, 7; I Thessal. 4, 2, al. Pronomen ὑμᾶς, editionibus N. T. ex- ibitum vulgaribus, quum desit in ABCDFG, odicibusque nonnullis, quos litteris minuscu- s exaravere, itemque glossema aliquod sapiat, ɔurium sane ducendum, atque eiiciendum e xtu est, sed ad περιπατῆσαι haud dubie sub- ıtelligendum. Commentarii, quem Anselmo antuariensi tribuere, auctor, et Erasmus ver- um κύριον de Deo patre intellexerunt. Quid? uod sunt inter patres, qui θεοῦ (ex I Thess. 2, 2 opinor petitum) legant pro κυρίου. At vero ıelius accipitur vox de Christo, quem τοῦ ρίου nomine Paulus toties afficiat. Iam ageret iolenter, qui locutionem τοῦ κυρίου divelleret b ἀξίως, et cum εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν copularet. 'ormula native quidem construitur cum ἀξίως, raesertim quum apostolus saepius vocem ἀξίως enitivo nominis adiungat IV Ephes. 1, I Phi-

R

lipp. 27, I Thessal. 2, 12. Dictionem ἀξίως τοῦ κυρίου exponit Przipcovius: „digne Domini acceptis beneficiis, et futuris (i. e. in posterum explendis) promissis"; alii: „doctrinae Domini convenienter"; Calixtus, cl. Iunkerus: „sicuti Christianos decet." Cocceium credo dictionis sensum assequutum, dum dicat: (intelligentia Christiana et sapientia Colossensibus discenda in schola Dei est, ut vitam ita agant,) „quemadmodum flagitat dignitas et maiestas et meritum eius, quem nominant Dominum." Quae a Raphelio ex Polybio ad particulam ἀξίως τοῦ κυρίου excitantur, eam, quam postremam attuli, particulae interpretationem confirmant. Caeterum belle Musculus: „tantum sapimus revera et intelligimus, quantum et corde et vitae studio exprimimus." — Verbum ἀρέσκεια de legitimo studio placendi, alteri intentionem suam, verba, facta probandi (qua quidem potestate a Paulo adhibetur vox) apud profanos scriptores obvium est rarius. Philonis in scriptis illum suppeditans sensum deprehenditur ἀρέσκεια: Veluti libro περὶ ζώων τῶν εἰς θυσίας καί τινα τῶν θυσίων εἴδη (opp. Philon. ed. Francof. p. 837) sermo est de τοῖς κατὰ θεὸν πρὸς τὴν τοῦ ὄντως ὄντος ἀρέσκειαν ζῆν ἐγνωκόσι. Pertinet ἀρέσκειαν apud Paulum ad τὸν κύριον: vivendum est Colossensibus ἀξίως τοῦ κυρίου, ita ut studeant, Iesu Domino penitus aut in omnibus, quae ab ipsis sentiuntur, suscipiuntur caet.,

placere. Christianae vitae finem attigit, quisquis iudici mundi futuro placuit per omnia, ut queat aliquando ab eo ἀγαθὸς καὶ πιστὸς δοῦλος appellari. Si quis placeat Christo, eundem Deo patri placere, per se clarum. Verum definit Paulus ipse, quo potissimum respectu Colossenses Domino placere valeant: ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ κ. τ. λ. Beza, Bengelius, Schomerus al. arbitrantur, participia καρποφοροῦντες, αὐξανόμενοι, δυναμούμενοι v. 11 esse ad verbum πληρωθῆτε, versu 9 lectum, trahenda. At ea construendi ratio, quoniam tot intervenientibus verbis laborat difficultatibus, tria ego ista participia ad περιπατῆσαι et omissum ὑμᾶς retulerim, statuens quippe, positos esse participiorum trium nominativos accusativorum loco. Est istiusmodi enallage casus neque Paulo, neque melioris notae auctoribus Graecis insolita, cf. S. Rev. Wineri Grammatik des Neutestamentlichen Sprachidioms caet. pag. 189, 190. Ad ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ καρποφοροῦντες quod attinet, fideles Christiani non debent vitam conterere ἐν ἀκηδίᾳ, immo ne possunt quidem. Illis vero, quamquam unum σπέρμα θεῖον (i. e. unum Sanctum Spiritum eundemque) tenent acceptum, tamen non unum quoddam genus fructuum (i. e. recte factorum) efferendum est, sed fructus cuiusquemodi producendi, iique εἰς δόξαν καὶ ἔπαινον τοῦ πατρὸς (I Philipp. 11); vide multiplices καρποὺς τοῦ σπέρματος θείου seu πνεύματος Paulo V Gal. 22

delineatos. — Sequentia si spectes, invenitur lectio τῇ ἐπιγνώσει τοῦ Θεοῦ plures apud patres, velut Clementem, in translat. Syr., Coptic., Aethiop., al.; item codicibus A B C D E F G, aliisque, minoribus qui sunt perscripti litteris: praeponendaque videtur alteri lectioni εἰς τὴν ἐπίγνωσιν. Colossensibus itaque sic vita componenda, ut fertiles sint quibusvis honeste factis, atque in dies cognitione unius et veri Dei, qui adeo clare in Christo revelatus est, gliscant. Iusta eius Dei cognitio, recta est ad salutem sempiternam via, XVII Ioan. 3. Imperfecta autem rerum divinarum cognitio tunc temporis in Colossensibus. Contra Wolfius, cui lectio εἰς τὴν ἐπίγνωσιν, in textum saepissime recepta, parum bene probatur, sentit, praepositionem εἰς indicare finem ad quem, Paulumque id sibi velle: incrementa Colossensium in virtute (ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ καρποφοροῦντες καὶ αὐξανόμενοι) tendere et vergere debere in pleniorem et firmiorem Dei cognitionem, cf. Theophylactum ad h. l.; oportere hanc suppeditari experientia maiore spirituali.

V. 11. *Δυναμούμενοι.* *Δυναμοῦν*, Hebr. גָּבַר X Ecclesiast. 10, solo hoc loco in Novo Testamento reperitur. Eadem est significatione, qua vox composita ἐνδυναμοῦν, frequentius apud Paulum exstans (II Timoth. 4, 17), denotatque validum reddere. Formula ἐν πάσῃ δυνάμει δυναμούμενοι per: „omnis generis viribus corro-

borati", non male explanatur Grotio ac Rosenmüllero (vestigia Grotii τοῦ πάνυ creberrime prementi), quin Musculo, qui dicit: „robur (vis, δύναμις cf. VI Hebr. 5) in Christiano homine aliud est fidei in Christum, aliud spei infractae, aliud dilectionis non fictae, aliud patientiae in tribulationibus." Sed licet certe particulam, qua de agitur, commode explicare: „summo vel permagno robore validi facti." — *Κατὰ τὸ κράτος τῆς δόξης αὐτοῦ.* *Δόξαν* pariter atque *κράτος* Storrius accipit de potentia (עֹז, ἰσχὺς), ut copulatis ambobus synonymis potentiae exprimatur magnitudo: „pro summa virtute Dei." Fateor, vocem *δόξα* esse VI Rom. 4 potentia. At nil video causae, cur sit usitata vocabuli *δόξα* potestas h. l. mittenda, qua instar Hebr. כָּבוֹד est dignitas, maiestas. „Pro potentia maiestatis" notissimum et Hebraeum genus loquendi, dictionis „pro potentia maiestatica, gloriosa" loco. Vocat Paulus Dei potentiam gloriosam, „weil, uti habetur apud Heumannum, sich Gott durch dieselbe bei den Menschen verherrlichet, daß diese seine Kraft und Macht rühmen müssen." Scilicet sunt homines *ἀσθενεῖς*. Neque vero possunt tanquam tales virtutem ullam rite exercere [6]; vires ad excolendam virtutem quampiam e Deo patendae, in quo universe

---

6) Ait Christus XV Ioan. 5: „*χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν.*"

hominum reponenda fiducia (XII Iesai. 2), et vero redduntur homines *κατὰ πνεῦμα* validi magnifica Dei benignissimi potentia. Inde autem consequitur, quomodo sollerter subiicit Erasmus *ὁ παραφράζων* „ut omnis gloria eorum, quae per nos fortiter geruntur, ad illum redeat." — *Εἰς πᾶσαν ὑπομονὴν καὶ μακροθυμίαν*: *εἰς* hic nullo pacto est in cum ablativo, quod habent vulgata versio, Dionysius Carthusianus, alii, quasi vero *δύναμις*, qua opus erat Colossensibus, sita esse debeat in *ὑπομονῇ* et *μακροθυμίᾳ*. *Εἰς* notat in cum accusativo, aperit nempe Paulus, quem in finem *τὸ πάσῃ δυνάμει δυναμοῦσθαι* optet Colossensibus. *Ὑπομονὴ* vernacule Ausdauer, *καρτερία* in exanclandis malis, quibus varias per causas variis *ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ* affliguntur, qui viva cum Christo iuncti sunt fide, ita II Timoth. 3, 5; II Thessal. 1, 4; 3, 5 al. *Μακροθυμία*, Gelassenheit, in ferendis fortunae tormentis patientia, ut V Iacob. 10. Patiens Christianus est vir reapse fortis. Non insulsum videtur esse Cornelii a Lapide dictum: „fortia agere Romanum est, aiebat Scaevola; sed fortia pati Christianum est." — *Μετὰ χαρᾶς*. Trahitur a Vatablo atque adeo Chrysostomo, Theophylacto ad *εὐχαριστοῦντες*, ac si loquatur apostolus de laetis gratiis, quas Deo habituri sint Colossenses. Satius tamen est, *μετὰ χαρᾶς* ad *ὑπομονὴν* et *μακροθυμίαν* referre, quemadmodum vox *πᾶσαν* ad vocabula ea pertinet. Comma

hanc fundit sententiam: vires ego vobis maximas apprecor a Deo, ut in iis, quibus agitamini, rebus adversis, ne sitis instar *καλάμου ὑπὸ ἀνέμου σαλευομένου*, verum consummatam tum constantiam tum patientiam commonstretis, et utramque quidem vel cum laetitia coniunctam. Laetitia super eo cumprimis debebat oriri, quod afflictiones Colossensium breves ad *ἁγιασμὸν τοῦ ἔσω ἀνθρώπου* ac sempiternam felicitatem amplificandam faciebant. Certe Paulus fuit *ὡς λυπούμενος, ἀεὶ δὲ χαίρων*, II Corinth. 6, 10. Apparet (Paschasio Quesnelio iudice) ex laetitia tali, Deum i. e. summum bonum, nobis esse omnia.

V. 12. Non ego dubito, *εὐχαριστοῦντες* accipere de Colossensibus ac statuere, participium esse positum pro *εὐχαριστοῦντας*, et cum *δυναμούμενοι, αὐξανόμενοι, καρποφοροῦντες* a *περιπατῆσαι* (*ὑμᾶς*) versus 10 pendere [7]. Ita vita Colossensibus instruenda, ut gratias agant Deo patri pro collato in ipsos beneficio (iam memorando). — *Ἱκανοῦν* a Bruckero Aretioque vertitur: dignos facere. Heumannus: „Durch das Licht, nämlich seines (i. e. Dei) Wortes, welches er uns hat predigen

7) Participium, de quo loquimur, spectare Paulum, verbis *οὐ παυόμεθα προςευχόμενοι καὶ αἰτούμενοι* superioribus commemoratum, visum est Calvino, Calovio, Starkio. At nonne est agere cum quadam vi, participium abstrahere ab iis, quae proxime ante illud a Paulo sunt prolata, atque ita remoto versiculo 9 adiungere?

lassen, hat er uns würdig gemacht, das Erbe, nämlich die ewige Seligkeit, mit allen Heiligen zu erlangen." Potest sane verbum eam vim tenere, quum ἱκανὸς quoque in Novo Testamento, ut III Matth. 11, VII Evang. Luc. 10, I Cor. 15, 9 al. designet: dignus. Verum h. l. congruentius est, ἱκανοῦν significatu sumere eo, qui II Corinth. 3, 6 inest voci: aptum reddere, Hebr. הֵכִין, ἐπιτήδειον ποιεῖν sive κατασκευάζειν, quomodo est apud Chrysostomum. Peccato evaserant homines, etiam Saulus, ad participandum regnum divinum inepti; aptos hoc fecit modo benignus Deus et omnipotens, quod sine merito eorum ullo, propter Christum peccatum iis remisit, ab imperio vindicavit peccati, καινὰς κτίσεις (sanctos) Sanctum per Spiritum reddidit, quippe quibus solis regni eius introitus concessus sit, immo possit concedi. Calvinus: „nascimur filii irae, exules a regno Dei; sola est Dei adoptio, quae nos efficit idoneos. Adoptio autem a gratuita electione pendet. Spiritus regenerationis est adoptionis sigillum." — *Εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτί.* *Μερὶς*, quod respondet Hebraeo חֵלֶק, est Antheil, communio: *Κλῆρος* instrumentum, quo sortiare, XXVII Matth. 35; dein terra, feliciter peracto negotio sortiendi accepta; tum in universum terra, singulatim *divina* terra Canaan, dico regnum Dei et Christi spirituale. *Φῶς* (Hebr. אוֹר) physica lux, qua corporeum nihil est pu-

rius [8]) XVII Matth. 2; b) adhibetur de Christiana potissimum doctrina, qua illuminantur hominum mentes, V Evang. Ioan. 35; c) de vera cognitione doctrinae Christianae XXVI Act. 18; d) de puritate animi, sanctitate V Matth. 16, XIII Rom. 12; e) *φῶς* est salus, eaque ita, ut simul scientiae rerum divinarum ac virtutis, quae fontes salutis sunt, comprehendantur verbo notiones, I Petr. 2, 9, item h. l. Particula *ἐν τῷ φωτὶ* ad vocem *κλήρου* referenda, aeque atque dictio *τοῦ σκότους* v. 13 ad voculas *τῆς ἐξουσίας* pertinet: Deus, quae est infinita eius erga Christianos homines benivolentia, fecit eos habiles ad societatem regni sui et Christi, quod quidem constat in divinarum rerum cognitione, iustitia sive virtute, salute, cuiusque socii homines Deo per Christum consecrati (קְדֹשִׁים, *τὸ ἔθνος ἅγιον, ὁ λαὸς θεοῦ* I Petr. 2, 9,) his iam in terris sunt. Minus profecto probabiliter volunt Lanfrancus, Grotius, Bellesobrius, Infantius, Boltenius, S. V. Wahlius, esse *τῶν ἁγίων ἐν τῷ φωτὶ* scriptum pro *τῶν ἁγίων τῶν ἐν τῷ φωτί*. Hac ratione foret de fidelibus iis sermo, qui in luce (qui *υἱοὶ τοῦ φωτὸς*), doctrina Christiana imbuti sunt.

---

8) Philosophi orientales, ante ac post Chr. natum orti, excelsam Deitatem naturam quandam esse duxere, quae composita esset e luce purissima ac *διὰ πάντων* permearet.

V. 13 — 14. Ostenditur, patrem Christianorum, nimirum Deum, Christianos ob filium suum regno satanae exemisse, et in illud, cui Christus praeest, adscivisse.

V. 13. Versum omnem Heinrichsius cum versu 12 connectit arctissime. Rursus Andreas Osiander, item Pelagius coniungunt versum 13 cum sequentibus. Mea quidem sententia v. 13 cohaeret cum v. 12 et v. 14; scilicet respicit vocula ὃς v. 13 particulam τῷ πατρὶ v. 12, atque dictio ἐν ᾧ v. 14 phrasin τοῦ υἱοῦ v. 13. — Ἐῤῥύσατο. Ῥύεσθαι trahere, eripere, liberare. Explicatur Theodoreto Hesychioque per ἐλευθεροῦν, λυτροῦν. Iungitur verbum etiam II Timoth. 4, 17, VII Roman. 24 cum ἐκ. Apud viros LXX voce ῥύεσθαι exprimuntur פִּלֵּט XVII Psalm. 13, גָּאַל LIII Iesai. 16 al. Chrysostomus: „οὐκ εἶπεν (scil. Paulus) ἐξέβαλεν, ἀλλ' ἐῤῥύσατο, τὴν πολλὴν ταλαιπωρίαν δεικνὺς ἡμῶν." — Ἐκ τῆς ἐξουσίας τοῦ σκότους. Ἐξουσία est iudicibus Augustino, Calixto, Whitbyo, Storrio potestas, vis, quam quis, h. l. ὁ σκότος, exercet in aliquem; Dionysio Carthusiano, Michaeli, S. F. Bretschneidero est dominium, dominatio; optime exponitur metonymice: materies dominationis, propterea quod verbum ἐξουσίας efficit vocabuli βασιλείαν consequentis ἀντίθεσιν. Ὁ σκότος caligo, ex amota luce corporali nata, ut XXIII Luc. 44; b) usurpatur de tenebris, quae animis mortalium offunduntur, nempe de igno-

rantia (*ἀγνοίᾳ*, Suidas) unius verique Dei, *τῶν θείων*, veri in universum. Et statum ignorantiae gentilis Hammondus ac Whitbyus vocem h. l. intellexere; c) notat *σκότος* impietatem, quodvis malum morale, ut I Ioan. 1, 6: in ea *quoque* vocis significatione acquieverunt Maior, Bellesobrius; d) significat *σκότος* miseriam internam, quae sequitur rerum divinarum ignorantiam et improbitatem; (vim eam habent Hebraea etiam אֹפֶל et חֹשֶׁךְ, vide XXIII Iob. 17) *σκότος* h. l. ea esse potestate, arbitratus est Beza. Mihi certe accommodatissimum videtur esse, *σκότους* antegressis cum vocabulis sic interpretari: liberavit Deus Christianos nos, quum e circumcisione, tum e praeputio oriundos, a regno ignorantiae, improbitatis, miseriae; eaque liberatio iure dicitur Calvino „salutis principium." Ecce *τὸ ἄῤῥητὸν τῆς θείας φιλανθρωπίας μέγεθος!* Quod reliquum est, eius regni sceptra tenet is, qui ultimus ignorantiae, pravitatis, miseriae auctor a scriptoribus Novi Instrumenti perhibetur, *ὁ διάβολος*. — *Μετέστησεν*. *Μεθίστημι* Chrysostomo enarratur per *μετατίθημι*. Adhibetur verbum pariter atque Hebr. הֶעֱבִיר XLVII Gen. 21, de iis, qui mortales *ἀπὸ τόπου εἰς τόπον* transferunt, cf. Flavii Iosephi archaeolog. lib. IX, 11, 1. Magnum in eo cernitur Dei beneficium, quod Christianos haud promeritos ad regnum Christi transtulit. Nempe translatio, ut est apud Musculum, et

hoc in se continet, ut participes eos reddiderit Deus bonorum, quae in Christi regno continentur, omnium. — *Εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ.* Particulam *τὴν βασιλείαν τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ* cl. Iunkerus et Heinrichsius arbitrario sumunt de religione Christiana; Heinrichsius quidem Iustium, ut videtur, sequutus, abs quo phrasis voce „Christenthum" explicatur in libro, qui inscribitur Vermischte Abhandlungen über wichtige Gegenstände der theologischen Gelehrsamkeit, sylloge secunda, pag. 167, tametsi loco alio (pag. 175) *βασιλείαν τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ* „die christliche Religionsgesellschaft" intelligit. Capienda est phrasis de regno Dei Christique, quod etiamsi per se terrestre non est, constitutum hac in terra est ex hominibus *φωτιζομένοις*, virtutis studiosis, et quadam salute fruentibus (regno gratiae), cuiusque, sub auspiciis Dei, caput ac gubernator filius Dei est sive Messias, cf. Knappii scripta var. argum. p. 56. Hoc regnum, quod idem non modo *ἡ βασιλεία τοῦ Ἰησοῦ, τοῦ Χριστοῦ*, sed *ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ* (Hebr. מַלְכוּת הָאֱלֹהִים), *ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν* (מַלְכוּת הַשָּׁמַיִם) in litteris sacris vocatur, quoad rex eius supremus est Deus, quoad caeleste est, i. e. aut locum aliquando ipsis in caelis inveniet [9]), aut caelestia, veritatem dico, sancti-

---

9) Ambrosiaster hanc ad v. 13 misit vocem: „Translati (sc. a Deo) sumus in *regnum caeleste* filii Dei, ut ostenderet

tatem, beatitudinem continet, hoc inquam regnum, ubi Christus apparuerit rursum caelitus, mortuos prodire e sepulcris iusserit, deque universo mundo instituerit iudicium, auctore Christo conspicuum maiestate reddetur, quomodo ait apostolus: „εἰ ὑπομένομεν καὶ συμβασιλεύσομεν." Huius regni Messiani, qui ante extremam παρουσίαν Christi non evaserit socius, an post eam particeps reddi queat, in obscuro est. Dicendi formula υἱὸς τοῦ θεοῦ designat primo divinam illam naturam, quae ἀπ' αἰῶνος extitit, seu exiit ex occulto et ἀκαταλήπτῳ Deo tanquam ἀρχῇ, cuncta ἐκτὸς τοῦ θεοῦ ὄντα procreavit, Deum ignotum eiusque voluntatem revelavit: quaeque appellata propter id ipsum est ab Hebraeo Philone ἄγγελος ἑρμηνεὺς, ab eodem atque Ioanne apostolo (vide Evangelii Ioann. prooemium) λόγος. Is λόγος θεῖος, cuius ad Deum ratio plane specifica (ut barbare loquar,) est, assumpta in Iesu natura humana (I Evang. Ioan. 14) Dei filius appellatur I Ioan. 18, X Luc. 22, XXVIII Matth. 19. Deinde con-

---

nobis Deus, quo amore diligit nos, quando attollens nos de imo tartari, induxit in *caelos* cum vero filio suo. Iam enim omnes credentes, qui fixa mente devoti sunt, exeuntes de saeculo, inducuntur in caelum, quod ante devictam mortem concessum non erat." Piscator docet, translatos nos esse in regnum caeleste, partim re, quatenus sentiamus initia vitae aeternae ex gustu nimirum paterni favoris Dei, partim spe, quia certo speremus plenam cum Deo communionem.

stat, qui antiqua memoria potestatem a Deo insignem tulissent, quodammodo Dei in terra loco essent, omniaque *ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Θεοῦ* agerent, veluti reges, magnificum iis filiorum Dei nomen a Iudaeis [10]) esse impositum, vid. LXXXIX Psalm. 27, 28; II Sam. 7, 14, al. Hinc et Messias, quatenus theocratiae Iudaicae rex futurus, Deumque repraesentaturus erat, vel ante natales filius Dei nominatus. Hinc Iesus, quoad eum Deus *τὸν τοῦ πνευματικοῦ Ἰσραὴλ* (populi revera theocratici) *βασιλέα* elegit, potenterque declaravit, in libris Novi Foederis Dei filius saepe nuncupatur, ut I Ioan. 50 (ubi dictioni *υἱὸς τοῦ Θεοῦ* subiunctum adeo est: *ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ*), IV Luc. 41 (quo certe loco particula consequens *ὁ Χριστὸς* inservire expositioni dictionis *ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ* potest), XXII Luc. 70, alibi. Et I Coloss. 14 quidem formula *ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ* de Messia est accipienda,

---

10) „Der König der Israeliten war eigentlich Jehova (II Mos. 19, 5); von ihm haben erst die Könige ihre Gewalt, und das Königthum ist erst aus der Theokratie hervorgegangen (vgl. 1 Sam. 8, 7; 10, 19);" sunt S. Rev. de Wettii ad II Psalm. 5 verba. — Quum imperia antiquitatis omnia theocratica, uti aiunt, essent, mirum non venit, insignitos esse aliorum quoque populorum reges filiorum Dei nomine. Iliadis auctorem (auctoresve) Graecorum reges appellare haud raro *διογενεῖς*, *διὸς υἱούς*, *διοτρεφεῖς*, quis nescius est? Aegyptii prisci, si audire Siculum Diodorum (I, 49) destinaveris, persuasum sibi habebant, reges suos *θείας μετέχειν φύσεως*, eosdemque *ὡς πρὸς ἀλήθειαν ὄντας θεοὺς* adorabant.

quandoquidem arctissime cum particula *τὴν βασιλείαν* iuncta est; de divina natura Iesu ab v. 15 apostolus incipit loqui: nisi forte ea ipsa ex causa, quod inde a v. 15 tractatur *ἡ θεολογία* (strictiore sensu particulae), contendere placet, vocem *υἱοῦ* et de Messia et de *λόγῳ* capiendam: ac fuit estque Iesus et Messias et *ὁ λόγος τοῦ θεοῦ* in una persona. Pronomen *αὐτοῦ* non ab *υἱοῦ* pendet, sed ab *ἀγάπης*: „filius dilectionis suae" est Hebraismus, idemque valet, quod „filius sibi dilectus" [11]), *ἀγαπητὸς*, quemadmodum dicunt Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus *μονογενὴς* (יָחִיד), quomodo Ioannes I Evang. 14, 18. Filium unice amat caelestis pater, id quod plus vice simplici declaravit ipse (III Matth. 17; II Petr. 1, 17); filio debent Christiani, quod a Deo patre diliguntur, diliguntur autem in filio. Piscator: „causa, cur nos diligat Deus, est, quia sumus membra filii eius dilecti."

---

11) Ait Augustinus (cuius vestigiis institerunt Musculus et commentarii, Anselmo Cantuariensi adscripti, auctor), lib. XV de trinit. c. 19: „Quod dictum est, filii caritatis suae, nihil aliud intelligatur, quam filii sui dilecti, *quam filii postremo substantiae suae.* Caritas quippe patris, quae in natura eius est ineffabiliter simplici, nihil aliud est, quam ipsa eius natura atque substantia: ac per hoc filius caritatis eius nullus est, quam qui de substantia eius est genitus." Interpretatio magna ex parte falsa; non caritas sola, sed reliqua etiam Dei attributa substantiam eius conficiunt.

V. 14. Versiculum cum proxime antecedente sic probe copulat Ambrosiaster: „in huius filii sui regnum transtulit nos Deus, per quem nos redemit et manumisit. Remissio enim peccatorum liberos facit"; ἐν est per h. l. ut VI Rom. 23, III, 24. Rectior est interpretatio, quam illa, quae Calvino atque Coccelo debetur, et ex qua ἐν denotat in; ἐν ᾧ foret: quoad sumus in eo (scil. Dei filio), i. e. quatenus intime cum hoc sumus copulati, in hunc credimus. — Ἔχομεν τὴν ἀπολύτρωσιν. Ἔχομεν accepimus, tenemus nos in Iesu tanquam Christo fidem collocantes. Verbo ἀπολύπτρωσις significant Graeci liberationem alicuius sive redemtionem ἐξ αἰχμαλωσίας, pretio soluto perfectam: Hesychius per ἀπόλυσις illustrat. A Paulo pluries usurpatur vox (apud Lucam II Evang. 38, I, 61 legitur λύτρωσις,) de ea perditi mortalis redemtione a reatu poenisque peccati divinis, quae est consummata ἐν τῷ αἵματι h. e. morte sanguinolenta, quam occubuit Christus pro hominibus peccatoribus et ceu λύτρον sive ἀντίλυτρον (I Timoth. 2, 6), sine dubio maximum absolutumque, Deo patri obtulit I Ephes. 7, III Rom. 24, cf. etiam IX Hebr. 14, I Petr. 18, 19. Ea vero ἀπολύτρωσις seu λύτρωσις est αἰωνία (IX Hebr. 12), in saeculorum saecula valet. — Διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ. Requiruntur vocabula apud Basil., Chrysost., Augustin., aliosque patres; ad hoc in translation. vulg., Syr.,

Syr., Aethiop., Armen. al., postremo in A, B, C, D, E, F, G, ut codices, qui minores per litteras scripti sunt, multos praetermittam. Dictionem, qua de agitur, a quopiam, redemtionis illius rationem accuratius definituro, ex I Ephes. 7 huc transpositam, a verisimilitudine non abhorret. Unde abeundum vocabulis est e v. 14, tametsi, quomodo scite observatur Bezae, nunquam possunt frequentius repeti, quam par sit. — *Τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν.* *Ἁμαρτίαι* in universum aberrationes a sanctis Dei legibus. Locutiones *ἡ ἄφεσις τῶν ἁμαρτιῶν* et *ἡ ἀπολύτρωσις* idem plane designant. Bellesobrius et Infantius bene interpretantur locum, de quo videmus: „la rédemption, *savoir* la rémission de nos péchez;"; cfr. etiam Theophylactus. Sensus est commatis: Deus, in morte Christi, ut plena pro peccatis mortalium satisfactione acquiescens, Deus (uti habes apud Langium), „rechnet die Sünde überhaupt, die Erbsünde mit allen wirklichen den Menschen nicht zu, er siehet sie an, als wäre sie nicht geschehen, er durchstreichet gleichsam der Menschen Schuld" caet., eoque eos *εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ υἱοῦ* transfert.

EXCURSUS I.

DE II COLOSS. 1:

Θέλω γὰρ ὑμᾶς εἰδέναι, ἡλίκον ἀγῶνα ἔχω περὶ ὑμῶν καὶ τῶν ἐν Λαοδικείᾳ, καὶ ὅσοι οὐχ ἑωράκασι τὸ πρόςωπόν μου ἐν σαρκί.

Reperias in S. V. Dr. Röhrii critischer Predigerbibliothek, tom. IX, fascic. 4, doctam quandam et subtilem commentarii, cl. Iunkero in epistolam ad Colossenses confecti, recensionem, cuius auctor pag. 636 fatetur, dubitare se, „daß aus Col. II, 1 die persönliche Unbekanntschaft Pauli mit den colossensischen Christen so bestimmt geschlossen werden dürfe, als von dem Verfasser (scil. commentarii) und von allen Einleitungsschreibern der neuern Zeit (Bertholdt, Eichhorn, aliis) geschehen sei." Pergit: „ist es — durchaus nothwendig, daß die *ὑμεῖς*, die Christen in Colossä, und die *ἐν Λαοδικείᾳ* unter denen, die des Apostels Angesicht nicht gesehen hatten, mit inbegriffen sind? kann sich das *καὶ ὅσοι κ. τ. λ.* nicht auf andere Gemeinden beziehen?" Verba *καὶ ὅσοι* (et quotquot) *οὐχ ἑωράκασι τὸ πρόςωπόν μου ἐν σαρκὶ* complectuntur, secundum interpretationem *nativam*, ecclesias omnes, quarum sors eadem fuit cum sorte Colossensium et Laodicensium,

i. e. quae Paulum de facie corporali non conspexere, aeque atque Colossenses et Laodiceni non conspexere. Profecto *non bene*, neque philologice potest καὶ ὅσοι κ. τ. λ. ad ecclesias referri, quae solae Pauli faciem corpoream non adspexere, ut exceptae ex iis sint et Colossensis et Laodicensis. Subiungit censor eruditus: „aber selbst zugegeben, daß es (sc. illud καὶ ὅσοι κ. τ. λ.) sich auf die ὑμεῖς und die ἐν Λαοδικείᾳ zurückbezieht, kann nicht καὶ auch hier, wie an so vielen andern Stellen des N. T. durch „Und besonders" übersetzt werden? so daß der Sinn wäre: ich bin sehr besorgt um euch, und um die in Laodicea, und besonders um so viele unter euch (sed ubi extat in textu Pauli: ἐν ὑμῖν?), die mich nicht von Person kennen. Paulus war schon lange aus jenen Gegenden entfernt, und so konnte es nicht fehlen, daß ihm die Mehrzahl von den Mitgliedern jener Gemeinden, wenn er sie auch selbst mit gestiftet hatte, fremd war. Nach der gegebenen Ansicht — auf die Rec. durch Heidegger Enchir. biblic. lib. III, cap. 17, § 3 geführt worden ist — würde der Apostel einen besondern Werth auf seinen Unterricht legen, indem er für die, welche er selbst unterrichtet hatte, weniger besorgt sein würde, als für die, welche von andern unterrichtet waren. Dabei kann Epaphras immer als ein besonders in Colossä und der Umgegend für das Christenthum thätiger Mann betrachtet werden." Ad ea annotaverim: voculae καὶ potestas primigenia est „und"; secundaria autem (si barbaro licet uti vocabulo) vis est „und besonders." Ad secundariam quandam ali-

cuius voculae significationem nullo modo confugiendum, si commode possis conquiescere in primigenio. Iam vero II Coloss. 1 in primigenio significatu voculae *καὶ* potest admodum bene acquiesci: hinc secundarium voculae non comprobo, primigenium retineo. In universum primitivae verborum, quae in Novo Testamento obvia sunt, significationes tanto tuendae studiosius, quanto ab iis saepius deflexere nonnulli interpretes, ita ut in verbis significationes, primitivis vel contrarias, inesse voluerint. — Caeterum quod S. V. Dr. de Wette ex II Coloss. 1 concludit, apostolum paganorum Colossas nunquam venisse (cf. Viri Lehrbuch der historisch-critischen Einleitung caet. tom. II, pag. 252,) quod Bertholdtius ex II Coloss. 1 efficit, Paulum, dum epistolam ad Colossenses concinnaret, Colossis nondum fuisse (cf. Bertholdtii historisch critische Einleitung caet. pag. 3439), quod b. Eichhornius ex II Coloss. 1 conficit, Colossas Paulo tanquam immediato, ut aiunt, doctrinae Christianae praecone non gavisas (cf. Eichhornii Einleitung in das Neue Testament, tom. III, part. I, pag. 283), notabile semper est, debetque in causa, quam tractamus, certe aliquid valere. Cf. Ciceronem, lib. I disput. Tuscul. cap. 12.

EXCURSUS II.

Quaeritur, quare falsi Colossarum doctores angelos bonos religioso cultu prosequuti sint?

Potest propterea factum esse, quod sunt angeli filii Dei (II Hiob. 1; I, 6), spiritus (I Hebr. 14), qui mortales intelligentia, sanctitate [12]) atque adeo, ut habetur II Petr. 2, 11, potestate superant, caelosque incolunt. Ni forte magistri haeretici eorum ergo coluere, quae angelos crederent fecisse ac facere: nempe aut fieri potuit, ut haberent persuasum, angelos in legis Mosaicae promulgatione Deo praestitisse ministeria, Deum Mosi et Israelitis legem per angelos tradidisse (cf. Theodoretum ad II Coloss. 18), quae saltem sententia quum serioris aetatis Iudaeis [13]), tum vero Stephano diacono

---

12) IV Daniel. 14 voce: sancti significantur angeli. Iudaeorum opinione modesti fuerunt. Aboth R. Nathan c. 12, fol. 5: „una caterva angelorum ad alteram sic dicit: tu incipe (primo loco Deo ministrare), quia tu maior me es." Debeo ego haec Schoettgenii ad II Coloss. 18 notae.

13) Legitur in lib. XV antiquit. Ioseph. 5, Iudaeos „τὰ κάλλιστα τῶν δογμάτων καὶ τὰ ὁσιώτατα τῶν ἐν τοῖς νόμοις δι' ἀγγέλων παρὰ τοῦ θεοῦ" didicisse. Eisenmengerus in opere: Entdecktes Judenthum, tom. I, p. 310 ea, quasi placita Rabbinorum, (ex Ialkut Rubeni, fol. 107) narrat: „Gott hat Mosen das Gesätz in vierzig Tagen gelehret. Als er nun widder herunter fuhr, und sahe, wie erschrecklich die Engel waren, und die Engel der Furcht, die Engel des Schweißes, die Engel

(VII Act. 53), epistolae Hebraeis missae (II, 2) auctori, quin Paulo (III Gal. 19) probata est: neque vero Veteris locis Testamenti destruere queas sententiam. Aut forsan existimabant pseudapostoli, divisas paganas gentes terrae esse in septuaginta, his autem praepositos angelos septuaginta, qui instar principum (שָׂרִים) gentes septuaginta regerent [14]), et maiestaticum solium Dei, abs quo vires traherent salutemque, circumsisterent; contra ipsum Deum Israelitici populi principem esse: ista certe Iudaeorum seriorum fuit opinio, quam locis pluribus Vet. T.: XXXII Deuteron. 8, XV Exod. 27, I, 5, XXXII Deut. 9, Psalm. CXXXV, 4, III Thren. 24 al. volebant comprobatam, vide Eisenmengeri Entdecktes Judenthum tom. I, pag. 805 — 809. Septuaginta illi angeli serioribus Iudaeis Elohim i. e. Dii dicti, inspice Eisenmengeri opus pag. 809, 814, 815. Aut putabant

---

des Bebens, und die Engel des Zitterns anschauete, kam ihn also bald eine Furcht an, und vergaß es widder in einer stund. Gott aber ruffte straks dem Iesifja, dem Engel des Gesätzes, der gab ihm (nämlich Mosi) das Gesätz in allem wol geordnet und bewahret, und alle Engel wurden seine Freunde, und ein jeder gab ihm etwas von Arzeneisachen" caet. At Philonis iudicio Deus ipse, haud adhibito interprete, leges X Mosaicas enunciavit, quod patet e locis Philonis, Krebsio (in observat. ad Nov. Test. e Iosepho) ad VII Act. 53 laudatis.

14) Invenias vel apud ecclesiae patres istiusmodi decreta, secundum quae sunt angelis subiecti populi, fructus, maria, videsis Euseb. demonstr. evang. IV, 7 sqq., Origenis lib. VIII adversus Celsum, eiusque homil. 11 in Numer., alios.

perversi Colossarum doctores, mortalibus quidem Deum, summa maiestate conspicuum, *ἀμέσως* adeundum non esse: „*ἔλεγον* (quae est vox Theophylacti, quocum cfr. ad II Col. 18 Chrysostomus), *ὅτι ἀνάξιόν ἐστι τῆς μεγαλειότητος τοῦ μονογενοῦς, τὸ προςάγειν ἡμᾶς* (scil. Christianos) *τῷ πατρὶ, καὶ μεῖζον ἢ κατὰ τὴν ἀνθρωπίνην σμικρότητα*"; iam genios esse caelestes, qui Christianos, eorundemque *δεήσεις* et *προςευχὰς* et *εὐχαριστίας* ad numen afferant supremum, pro iisque apud Deum intercedant [15]). Tales ut exhibeant sese *μεσίτας* [16]), angelos esse implorandos,

---

15) In opere Eisenmengeri tom. I, pag. 808 locus est is allatus ex Rabbini Menachem a Reckanat interpretatione Pentateuchi: (es) „werden dieselbigen (scil. septuaginta illi angeli principes) in dem Hohenlied Salomonis (cap. 5, v. 3) Wächter, welche in der Stadt herumb gehen, genennet, dann durch sie kommen die decret von oben (i. e. a Deo) her, und ein jeglicher derselben behütet sein volk, und ist dessen fürsprecher." Angeli septuaginta populos, qui idololatriae dediti, in universum curant (cf. Eisenmenger. tom. I, pag. 812, 815), bonaque iis procurant (l. c. p. 814, 817). Immo I Sacharj. 12 quidam est angelus pro Hierosolymis deprecator coram Iova.

16) Memoratu digna, quae de naturis daemoniacis proloquitur Platon in symposio: „*Πᾶν τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐστι θεοῦ καὶ θνητοῦ: ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ θεῶν. τῶν μὲν τὰς δεήσεις καὶ θυσίας, τῶν δὲ τὰς ἐπιτάξεις τε καὶ ἀμοιβὰς τῶν θυσιῶν.*" Ad haec: „*θεὸς ἀνθρώπῳ οὐ μίγνυται, ἀλλὰ διὰ τούτου* (i. e. per daemoniacam eam naturam) *πᾶσά ἐστιν ἡ ὁμιλία, καὶ ἡ διάλεκτος θεοῖς πρὸς ἀνθρώπους καὶ ἐγρηγορότας καὶ καθεύδοντας.*" Origenes licet de iis, quae super daemoniacis naturis Platon protulit, plura transferat ad angelos (V lib. advers. Cels. 4), id quod et Philo de somniis pag. 586 (opp.

et religiose colendos. Per angelos ad Deum accedere, eam demum esse humilitatem genuinam. Quod restat, potuit etiam fieri, ut theosophi Colossenses angelos propter *eorum et naturam et opera* colerent, cultosque a Colossensibus cuperent. Illi vero cultores angelorum, num iidem sint cum angelicis haereticis apud Epiphanium atque Augustinum occursantibus, (Augustino quidem angelici dicuntur in angelorum cultum inclinati,) quod Cornelio Lapidensi ad II Col. 18 placuit, utique perquam incertum est.

Iudaei, unde theosophi Colossenses exorti sunt, an genios caelestes religioso cultu sint prosequuti, iam disquirendum: Karaitarum sive Karaeorum secta, quae, curate a Sadducaeis discernenda, Bruckero respicitur in tom. II historiae criticae philosophiae pag. 730 sqq., hoc fovit placitum: „angelos, caelum, sidera adorare, idololatria est;" vide Bruckerum l. c. p. 743. At vero non negligendum, id cuidam duntaxat factioni [17] Iudaeorum esse statutum.

---

ed. Francof.) commisit, egregie tamen: „πασαν, inquit, δεησιν, και προςευχην, και ἐντευξιν, και εὐχαριστιαν, ἀναπεμπτεον τῳ ἐπι πασι θεῳ, δια του ἐπι παντων ἀγγελὼν ἀρχιερεως, ἐμψυχου λογου και θεου. δεησομεθα δε και αὐτου του λογου, και ἐντευξομεθα αὐτῳ, και εὐχαριστησομεν, και προςευξομεθα" κ. τ. λ., cf. Origen. opp. ed. Wirceb. tom. II, pag. 8.

17) Triglandius, quem constat quondam professorem Lugdunensis Academiae Batav. extitisse, Karaeos tractavit.

Contra libro Tobiae apocrypho cap. XII v. 12 traduntur Tobiae tum pater, tum filius coram Raphaële, qui ferme cum angelis sex Iovam circumstare perhiberetur (v. 15), ad terram in faciem suam prostrati, pleni quippe Raphaëlis *φόβῳ*. Item ex apocrypho quopiam, qui inscribitur praedicatio Petri, Alexandrinus Clemens talia habet lib. VI *στρωμ.* hausta: „*ἐκεῖνοι* (i. e. uti apparet è superioribus, *Ἰουδαῖοι*) *μόνον οἰόμενοι, τὸν θεὸν γινώσκειν, οὐκ ἐπίστανται, λατρεύοντες ἀγγέλοις καὶ ἀρχαγγέλοις, μηνὶ καὶ σελήνῃ*" *κ. τ. λ.* Hanc ego vocem, dum respicio Origenem, apud quem (tom. XIV in Ioannis evangel.) legitur: „*καὶ αὐτοὶ μόνοι* (scil. Iudaei) *οἰόμενοι ἐπίστασθαι θεὸν, ἀγνοοῦσιν αὐτὸν, λατρεύοντες ἀγγέλοις*" *κ. τ. λ.*, hoc pacto duco explanandam: Iudaei, etiamsi unum solummodo Deum nosse se credunt, Deum tamen haud sciunt, quandoquidem cultum religiosum exhibent angelis, archangelis, mensibus, lunae, rel. Ex se intelligitur, cultum angelis a Iudaeis praestatum, diversum longe fuisse ab *observatione* mensium lunaeque, quam constituendis diebus quibusdam festis instituerent Iudaei. Si Celsus porro apud Origenem lib. V contra Celsum 6 (opp. Origenis, Wirceburg. ed. tom. II, p. 10) exprobrat Iudaeis, *τὸ — τοὺς ἐν τῷδε* (sc. *οὐρανῷ*) *ἀγγέλους σέβειν*, egomet haud scio an veri quicquam verbis inhaereat, an Iudaei certe aliqui (ad quos et ille forsan, qui ad praedicatio-

nem Petri pertinet, restringendus est locus) tale quid commiserint [18]). Quid? quod obvia est apud Bartoloccium (in bibl. Rabb. Tom. I, pag. 193 sq.) antiqua supplicatio Litaniutica Hebraea, in qua „manu palpatur invocatio sanctorum angelorum sub nomine Sanctorum Spirituum."

EXCURSU III

monstratur specimine, quomodo adhibita dogmatice Christiana refutaverit paganorum apostolus pseudapostolos Colossarum, eorundemque inventa.

Videntur pseudapostoli negasse, divina Christum Iesum natura esse, atque opera perfecisse, item perficere divina. Iam enarrat apostolus divinitatem Christi, declarat, quae sint creata, omnia per eum, tanquam *λόγον τοῦ θεοῦ*,

---

18) Philo in libro *περὶ τῶν δέκα λογίων, ἃ κεφαλαῖα νόμων ἐστὶ*, avocat hunc in modum Iudaeos a cultu creaturarum ad creatoris Dei adorationem: „*τοὺς ἀδελφοὺς φύσει* (ea, quae a natura sua cognata nobis sunt) *μὴ προςκυνῶμεν, εἰ καὶ καθαρωτέρας καὶ ἀθανατωτέρας οὐσίας ἔλαχον* (angelos videtur doctus vir habere ob oculos): *ἀδελφὰ δ' ἀλλήλων τὰ γινόμενα, καθ' ὃ γέγονεν. ἐπεὶ καὶ πατὴρ ἁπάντων ὁ ποιητὴς τῶν ὅλων ἐστίν· ἀλλὰ διανοίᾳ, καὶ λόγῳ, καὶ πάσῃ δυνάμει τῇ τοῦ ἀγεννήτου, καὶ ἀϊδίου, καὶ τῶν ὅλων αἰτίου θεραπείᾳ, σφοδρ' εὐτόνως καὶ ἐῤῥωμένως ἐπαποδυώμεθα*" *κ. τ. λ.*; cf. opp. Philon. Francof. edit. p. 753.

creata esse, et quidem in honorem ipsius; quin per eum conservari omnia, I Col. 15—17.

V. 15. *ὅς ἐστιν:* Christus, per quem ἡ ἀπολύτρωσις Christianis contigit, idem est ἀληθῶς, nec vocatur tantummodo εἰκὼν τοῦ θεοῦ κ. τ. λ. Ioannes Sarisburiensis: „inserit apostolus egregiam Christi *προςωπογραφίαν,* quo constet clarius, tuto posse in tali redemtore omnem spem salutis nostrae reponi." — *Τοῦ θεοῦ τοῦ ἀοράτου;* spectat Deum patrem. Quia verbum ὁρᾶν est etiam humana mente cernere, perspicere, cognoscere, *γινώσκειν,* velut II Col. 18, I Evang. Ioan. 18, potest ἀόρατος is esse, cuius vis et natura cognosci nequit, qui ἀνεξιχνίαστος et hinc ἀκατονόμαστος, ἄῤῥητος est. Esse Deum, quis infitiari audeat? sed Deus, qui sit in se, in vita terrestri τελέως perspici non potest creatis mortalibus. Fiet iuxta I Corinth. 13, 12 in caelesti. Haud ego tamen diffiteor, satisbene hoc loco posse illam interpretationem stare, qua apostolus voce ἀόρατος aperit Deum, quoniam ex Servatoris nostri effato πνεῦμα sit (IV Ioan. 24), corpore quidem humano non aspectabilem. — *Εἰκών.* Christus, quatenus *filius Dei unigenitus* est, appellatur imago Dei, i. e. is, qui Deum eiusdemque naturam in natura sua exacte feliciterque facit ab aeterno perspicuum, eloquitur, repraesentat (dixit vir antiquus et gravis: „Der Vater würde ohne den Sohn ein finster ängstlich Wesen in sich selbst seyn"). Particula εἰκὼν τοῦ θεοῦ ferme idem

significat, quod χαρακτὴρ (seu τύπος) τῆς ὑποστάσεως, ἀπαύγασμα (quod Philoni quidem promiscuum cum μίμημα,) τῆς δόξης τοῦ θεοῦ (I Hebr. 3), postremo λόγος. Est vero ea imago nequaquam illarum instar, quas formant artifices, et quae eandem fere cum vivis suis ἀρχετύποις non habent naturam; verum est imago naturalis, ἀρχετύπῳ, quomodo Graeci patres iam videre, qua οὐσίαν par (II Philipp. 6). Deum nonnisi Deus perfecte perspicuum potest reddere. Contra Calvinus, Beza, Piscator, Przipcovius, alii dictionem εἰκὼν τοῦ θεοῦ interpretantur: Christus est is *homo* (quondam in terra vivens), in quo vere nobis sese conspiciendum praebuit Deus, et qui Deum doctrina, intentione animi, vitae actione, vel corpore fecit hominibus visibilem. Sic, (ut aliquam sententiam Grotii afferam) aqua exhibet solem [19]) conspiciendum. At multa cum solertia monet Calovius: „aliud est quod hic dicitur. Hic enim sermo est de eo, quod filius Dei fuit ante creationem, antequam conderentur angeli et omnia visibilia et invisibilia, ante omnes creaturas. Postmodum autem sequitur demum de ἑνώσει ὑποστατικῇ, ut

19) In „disputatione illa regalis et nobilissimi iuvenis Pipini cum Albino (seu Alcuino) scholastico", quae inserta est operib. Alcuini (tom. II, p. 352 sq.), interrogat Pipinus (filius Caroli Magni): „quid est sol?" et respondet Alcuinus: „splendor orbis, coeli pulchritudo, naturae gratia, honor diei, bonorum distributor."

agnoscit Grotius ad v. 19." — *Πρωτότοκος πάσης κτίσεως.* Hebraeis de more erat, ut familiae cuiusdam primogenitus aliquibus gauderet privilegiis, proximum patri locum teneret, ac fratribus sororibusque nuncuparetur et coleretur dominus, eorundemque esset princeps (cf. XXVII Genes. 29, 37). Ex quo vox *πρωτότοκος* opinione interpretum haud paucorum, ut auctoris illius, quem non nemo Cantuariensi Anselmo inscribit, commentarii, Melanchthonis, Cameronis, Hammondi, Whitbyi, Hoffmanni est: primarius, dominus. Iidem phrasin *πάσης κτίσεως* de cunctis intelligunt creaturis, quarum Dominus sit Christus, isque iuxta ipsius effatum, Matthaei ultimo deprehendendum: „data mihi est omnis in caelo ac terra potestas": neque vero quippiam aliud Piscatoris, aliorumque innuit enarratio, ex qua *πρωτότοκος πάσης κτίσεως* est principalis omnium haeres [20]) (cf. I Hebr. 2). Verum causas satis magnas requiro, cur primigenia vocis *πρωτότοκος* potestas (de qua statim viderimus,) mittenda nobis sit. Pelusiota

---

20) Grotius, Crellius, Heinrichsius, cl. Iunkerus sumunt *κτίσιν* de creatione nova i. e. de hominibus, qui sunt *ἀναγεγεννημένοι διὰ λόγου ζῶντος θεοῦ καὶ μένοντος* (I Petr. 1, 23), qui prorsus immutati, renovati, emendati sunt. At de nova creatione si cogitasset Paulus, profecto pro simplici *κτίσεως* particulam *καινῆς κτίσεως* usurpasset, ut II Cor. 5, 17; VI Galat. 15. Ubi absolute ponitur vocabulum *κτίσις* ab auctoribus N. T., denotat sane homines hic illic, ut XVI Marc. 15, verum nusquam regeneratos homines.

Isidorus scribendum pro πρωτότοκος esse statuit (lib. III epist. 31) πρωτοτόκος, ut in penultima accentus reponatur. Idem faciens Erasmus, vertit dictionem: „Christus primum produxit omnia, et omnis creatura ab illo nata est." Michaëlis quoque, quem, ut assolet, sequitur Leutvinius, habet in paraphrasi: „Er ist der erste Stammvater und Urheber aller Geschöpfe." Non negandum est, obvium fieri vocabulum πρωτοτόκος apud auctores profanos: veluti in Iliade Homeri introducitur Menelaus, iens circa Patrocli cadaver:

— — — „ὥς τις περὶ πόρτακι μήτηρ
Πρωτοτόκος, κινυρὴ, οὐ πρὶν εἰδυῖα τόκοιο."

Ast apud scriptores classicos verbum πρωτοτόκος femineo tantum genere invenias. Hinc Thomas quoque magister simpliciter: „πρωτότοκος· ὁ πρώτως τεχθεὶς· πρωτοτόκος δὲ μήτηρ, ἡ πρώτως τέξασα," ac Suidas: „πρωτοτόκος, ἡ θεοτόκος." Fateor, posse πρωτοτόκος generis esse masculi, eumque, qui primus pepererit cuncta, signare, quemadmodum verbum πρωτογόνος bis apud Orpheum occurrit. Sed non inficere aiunt in logica: „a posse ad esse non valet consequentia." Praeterea si πρωτοτόκος cum eo, quem Erasmus significavit, poneretur h. l. accentu ac significatu, eadem iam universim hic obtineret sententia, quae versiculo illico consequente, quum eius tamen particula ὅτι indicio sit manifesto, causam potius v. 16 contineri, quare Christus πρωτότοκος πάσης κτίσεως

esse debeat. Quocirca retinenda vulgaris ratio, accentus in ea, de qua sermo est, voce collocandi. Vocabulum *κτίσεως* egomet neque actionem creandi, et rem creatam credo intelligi accommodatissime, ut IV Hebr. 13, I Rom. 25. Vocula *πρῶτος* in verbo composito *πρωτότοκος* non aliud quid sibi vult, quam praepositio *πρὸ*, sive, quod ad idem recidit, *πρότερος* (prior), quomodo in Ioanneo illo *πρῶτός μου ἦν* (cf. XV Ioan. 18): *πρωτότοκος πάσης κτίσεως*, est *τεχθεὶς, γεννηθεὶς πρὸ πάσης κτίσεως* [21]). Christus (tanquam *λόγος*) sistitur genitus ante rem creatam omnem (*πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι* XVII Ioan. 5), etiam ante angelos [22]). Quoniam autem tempus ipsum una demum cum rerum creatarum complexu i. e. mundo cepit initium, Christus est idem *πρὸ χρόνου* h. e. מֵעוֹלָם, *ἐκ τοῦ αἰῶνος* sive, uti ait Ioannes (I, 1), *ἐν ἀρχῇ* a Deo genitus [23]). Et in hac quidem enarratione mihi convenit cum Ter-

---

21) Gomarus attulit vocum dissolutionem ei, quam proposuimus supra, similem: nempe *καρδιογνῶστα πάντων* I Act. 24 est pro *γνῶστα καρδιῶν πάντων*.

22) Rabbinos tum numen supremum (ut *αΐδίως ὄν*), tum Messiam vocasse primogenitum mundi, notatu non indignum.

23) Licet cum dictione *πρωτότοκος* contendas Messianum illud apud V Micham 1: מוֹצָאֹתָיו מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם. Philonis in scriptis nuncupatur generalis *τοῦ ὄντος* revelator (*λόγον τοῦ θεοῦ* dico,) *πρεσβύτατος υἱὸς τοῦ θεοῦ*. Christum quod attinet, nonne affirmat ipse (VIII Ioan. 58), fuisse sese, priusquam Abrahamus nasceretur?

tulliano, Chrysostomo, Theodoreto, Pseudo-Ambrosio, Oecumenio, Lyra, Beza, Hunnio, Cornelio Lapidensi, Calixto, Calovio, Bengelio, Infantio, alios ut praeteream. Placuit autem Musculo (cuius in hoc genere vestigua pressere Baumgartenius ac Storrius), quas supra delineavi, interpretationes duas copulare, quippe qui ea fere sit proloquutus: „primogenitus omnis naturae est Christus, primo quatenus genitus est, priusquam mundus hic esset conditus. Deinde hactenus, quatenus est dominus omnis creaturae.“ Dubito ego nullus, quin inde, quod genitus Christus ante cunctas creaturas sit, sequatur quodammodo, ut omnibus, videlicet *τοῖς ἔργοις τῆς χειρὸς αὐτοῦ,* superior sit, atque in omnes habeat dominium. Verum enimvero non potest demonstrari, quos iunxerit Musculus significatus locutionis *πρωτότοκος*, eos ab illa uspiam simul fundi. Inconcussa adhuc vox est Chrysostomi: *„τὸ πρωτότοκος* (hoc scilicet loco) *οὐχὶ ἀξίας καὶ τιμῆς, ἀλλὰ χρόνου μόνον ἐστὶ σημαντικόν.“* De titulo illo Christi quaestionem instituit Frid. Balduinus in disputatione de cap. I epist. ad Coloss., Viteberg. a. 1617; disputationem inauguralem conscripsit Franc. Alb. Aepinus, Rostoc.; plura denique locuti sunt Iacob. Wilhelm. Blaufuſs dissertatione aliqua inaugurali, quae inscribitur: de conditura saeculi per primogenitum Dei, Ienae a. 1759, atque Dr. Agatho Niemeyerus eleganti quadam et erudi-

ta

ta commentatione in Col. I, 15—20, item Ienae MDCCCXXVI.

V. 16. Versus est hoc modo connexus cum antegresso: Christus solus prius e Deo genitus est, quam universae creaturae e nihilo productae essent, siquidem vel namque per Christum demum, ut Dei filium, creatae sunt omnes. — *Ἐν αὐτῷ.* Vulgata forsitan versione, in qua particulae *ἐν αὐτῷ* respondet „in ipso," adducti sunt Carthusianus Dionysius et Thomas Aquinas, ut dictionem *ἐν αὐτῷ* in hunc modum explanarent: „in filio, tanquam in exemplari, principio condita i. e. creari disposita sunt universa." Ac revera, Platonem si sequi constitueris, potest dici, antequam res omnes essent productae, fuisse aeternam aliquam earum formam seu ideam (*ἀρχέτυπον, νοητὸν παράδειγμα τοῦ κόσμου*) *ἐν τῷ νοΐ* Dei supremi (*τοῦ αὐτοῦ ἀγαθοῦ*) delineatam, quam quidem ad ideam omnes res creatae sint et ordinatae. Cocceius ac Langius accipiunt formulam *ἐν αὐτῷ* hac ratione: „a patre, in filio *ὄντι*, universa producta sunt," quemadmodum, secundum ipsius Domini effatum (XIV Ioan. 10) a patre, manente in filio, edita sunt miracula. Sed utramque expositionem quaesitam esse et artificiosam, nemo non videt. Equidem praepositionem *ἐν* existimo valere idem, quod *διά*, idque ad exemplum Hebraei בְּ, quomodo XXXIII Psalm. 6 נַעֲשׂוּ בִּדְבַר יְהוָה שָׁמַיִם. Sen-

sus: „a Deo patre per λόγον (intime postea unitum cum Christo) condita sunt omnia," cf. I Hebr. 2. Defendit Hunnius, τὸ per derogare absolutae perfectioni filii nihil; patrem creasse res per λόγον, ut per aeternam suam sapientiam, quae arduum illud opus creationis rerum scientissime direxerit. — Ἐκτίσθη. Κτίζειν בָּרָא, creare, „ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγαγεῖν," quae sunt Oecumenii verba. Memoratur creatio prima. Contra Iustius, Wetstenius, Sociniani complures, ut Crellius, interpretantur κτίζειν de nova eademque morali i. e. secunda creatione, de eo, quod mundus per Christi adventum atque praedicationem evangelii in novum statum ordinemque est translatus. At primum, quae versiculo hocce sequuntur, refragantur interpretationi; etenim in illis verbi causa de angelis est sermo, super quorum reformatione, per religionem Christianam effecta, nihil prorsus constat. Si Crellius autem angelos vult eatenus iterum κτισθέντας, quatenus non solum, ut olim, uni Deo, sed nunc etiam filio eius Iesu Christo pareant, adorent, venerentur, quatenus angelis et nova quaedam munera officiaque a Christo iniuncta sint, quatenus emittantur exempli gratia, opitulaturi iis mortalibus, qui salutem aeternam consequuturi sint (I Hebr. 14), interpres opinor nemo ingenuus istiusmodi expositionem voculae κτισθῆναι iustam ac probabilem iudicaverit. Deinde effato I Ioan. 3, cum no-

stro concinente, enarratio ista vocis *κτίζεσθαι* non potest non labefactari. — *Τὰ πάντα.* Verbo *πάντα* quum Paulus articulum *τὰ* praeposuerit, Schlichtingius Socinianus per *πάντα* certa quaepiam putat significata, nempe intellectu praedita, angelos et homines (Noesselto, item Rosenmüllero, Heinrichsio *τὰ πάντα* intelligitur *πᾶσα ἐκκλησία*, omnis fidelium societas). Verum est, articulum id, cui antepositum sit, nomen saepenumero facere definitum. Vim vero *ὁριστικὴν* articulo h. l. insitam non esse, particulamque *τὰ πάντα* hic (pariter atque I Hebr. 3, locisque aliis) notare idem, quod *πάντα* simpliciter, vel inde proclive est intellectu, quod apostolus vers. 17 pro *τῶν πάντων* simpliciter ponendum curavit *πάντων*, et vers. 15 pro *πάσης τῆς κτίσεως* solummodo *πάσης κτίσεως*. Docet itaque, omnia, quae exstiterint, per Christum esse producta. — *Τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς.* Ernestius (cf. opuscula viri theologica p. 439 sqq. Lips. 1773) ac Tellerus explicant verba de Iudaeis theocratiam (מלכות השמים) sibi tribuentibus, ac paganis capiunt, qui utrique regenerati sint per Christum. *Βιαῖα* est enarratio, et ab usu loquendi, scriptoribus sacris proprio, aliena. Ad *τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς* (seu *ἐν τῷ οὐρανῷ*, quemadmodum est in uno apud Matthaeium codice) *καὶ ἐπὶ τῆς γῆς* est *ὄντα* subaudiendum: „ea, quae versantur in caelo, velut angeli, animae piorum defunctorum beatae,

quaeque in terra sunt, ut homines, animalia." Bene cl. Iunkerus: „Das Irdische und das Himmlische." Crediderim fere, innuere verba: Hebr. שָׁמַיִם atque הָאָרֶץ, mundum scilicet ipsum, cuius caelum et terra partes [24]). — *Τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα* Ernestio Telleroque iudicibus sunt homines nunc viventes, et olim in terra futuri. Falso! *τὰ ὁρατὰ* sive *βλεπόμενα* res sunt, quae, quoniam corporibus sunt instructae, in oculos mortalium incurrunt, (mundus visibilis); *τὰ ἀόρατα* ea, quae, corporibus quum carentia sint, oculis usurpari nequeunt (mundus intelligibilis, singulatim sancti angeli, quorum sedes caelum). Dividit apostolus creata, lectores tanto gravius edocturus, universa Christo debere originem. — *Εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες, εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι* hanc, si audias Heinrichsium, fundunt sententiam: „quidquid in rerum natura magnum, insigne, potens reperitur." (Cf. Dr. Iunkerum ad h. l., cum Heinrichsio sentientem.) Verum enim vero apostolicis vocabulis significantur, ni fallor, specialiora, praecipuae videlicet partes *τῶν ἀοράτων*: A rabbinis (et, id quod a verisimilitudine non recedit, a iudaizantibus

---

24) Ioannes Sarisburiensis sumit particulam *τοῖς οὐρανοῖς* de caelis tribus, quae aërium, stellatum, supremum nominantur, cogitatque in *τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς* de volucribus, astris, angelis; in *τὰ ἐπὶ τῆς γῆς* de iis quoque, quae reperiuntur in mari, sphaeram cum terra unam conficiente. Interpretatio saltem non insulsa est.

theosophis Colossarum) angeli boni varios in choros sive turmas discernebantur, teste Eisenmengero, qui tom. II des entdeckten Judenthums, cap. 7, pag. 374 ex libro Beríth menúcha haec et talia affert:

במו שהספירות הם עשרה כן כחות המלאכים הם עשרה
אשר אלו הם אראלים אישים בני האלהים מלאכים
חשמלים תרשישים שנאנים כרובים אופנים שרפים וי׳
מלאכים שנבראו תחלה ממונים על עשר מחנות הללו
אשר אלה שמותם מיכאל על האראלים צפניה על האישים
חפניאל על בני האלהים עוזיאל על המלאכים חשמל על
החשמלים תרשיש על התרשישים צדקיאל על השנאנים
כרוב על הכרובים רפאל על האופנים יהואל על השרפים:

„Gleichwie zehen Sephiróth (oder gläntze) seind, also seind auch zehen schaaren (oder gattungen) der Engelen, und seind dieselbige diese nachfolgende: die Erellím (das ist, die Mächtigen), die Ischím (das ist, die Männer), die Bené haëlohím (das ist, die kinder Gottes), die Malachím (das ist, die Engel), die Chaschmalím (das ist, die glüende kohlen), die Tarschischím, die Schinaním, die Cherubím, die Ofanním, und die Seraphím: und seind diejenige zehen Engel, welche am ersten seind erschaffen worden, über solche zehen heer gesetzet, welche (zehen Engel) also heißen. Der Michael (ist gesetzet) über die Erellím, der Zephánja über die Ischím, der Chófniel über die Bené haëlohím, der Usiel über die Malachím, der Cháschmal über die Chaschmalím, der Tarschisch über die Tarschischím, der Zádkiel über die Schinaním, der Cherúbh über die Cherubím, der Raphaël über die

Ofanním, und der Iehuel über die Seraphím." Iam vero Paulus, cui dubium non esset, quin revera versarentur in caelis angelorum chori, (quod sanae quidem rationi nullo modo contrarium), vocabula, per quae choros illos sive ordines adumbraret aliquo modo, delegit sibi ex rabbinorum ac theosophorum, ut probabile est, Colossensium systemate, atque in Graecum convertit sermonem, etiamsi angelorum ordines vocabulis istis ἐν οὐρανοῖς non appellantur. Vox θρόνοι est rabbinorum כִּסְאוֹת, metonymice notat: in thronis καθίζοντας. Heumannus: „auf diese Weise nennen wir Hoheiten solche Personen, die eine Hoheit in der Welt haben." Θρόνοι spiritus sunt caelestes, potentia inter angelos praediti. *Κυριότητες* idem est quod *κύριοι*, respondetque forsan rabbinico מְלָכִים: angeli sunt praerogativa dominandi insignes. *Ἀρχαὶ*, quod est pro *ἄρχοντες*, convenit cum Hebraeo שָׂרִים, denotatque principes inter angelos. *Ἐξουσίαι* est, quod sciam, rabbinicum אראלים, posita vox pro *ἐξουσίαν ἔχοντες*, ii, qui instructi sunt virtute, qui potestatem habent in alios. Ex vocabulis quattuor Paulinis elucet, designari ab apostolo eximios ordines angelorum et superiores; significari *bonos*, dictione τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς docemur[25]).

---

25) Fuerunt inter rabbinos, qui censerent, Deum altero die creationis mundi produxisse angelos: veluti rabbi Elieser, rabbi Bechai, rabbi Iochanan, cf. Eisenmengeri Iudaismum detectum, II tom., cap. 7, pag. 570.

Vocabula duci penitus synonyma, vetat particula disiunctiva εἴτε. Verumtamen angelici ordines[26]), qua ratione a potentia, dignitate, officiis inter se differant, per imperfectam, quam adhuc tenemus, divinarum rerum cognitionem accuratissime nunc nobis definiri non potest, cf. S. V. Ullmanni Gregorius von Nazianz, der Theologe, p. 494. Modeste Augustinus cap. 58 enchiridii: „dicant (hoc), qui possunt, si tamen possunt probare, quod dicunt; ego me — ignorare confiteor." Quod Zanchius et Crocius observant ad verba τὰ ἀόρατα: „opponi haec pseudapostolis ex iudaismo conversis, qui angelorum cultum introducebant. Si enim sunt creaturae, Christus creator, non illis, sed Christo religiosus cultus debetur," idem ego ad quattuor nomina chororum angelicorum transfero. Expositio,

---

26) In confesso est, Pseudo-Dionysium Areopagitam constituisse bonorum angelorum ordines novem, eosdemque distribuisse, immo vero a Paulo magistro voluisse distributos in hierarchiam triplicem (cf. de caelesti hierarchia lib. 6; tom. I opp. a Corderio editor. a. 1654): primam, circa Deum perpetuo versantem, complere τοῦς θρόνους, τὰ Χερουβὶμ atque Σεραφὶμ; secundam τὰς ἐξουσίας, τὰς κυριότητας, τὰς δυνάμεις; tertiam τοὺς ἀγγέλους, τοὺς ἀρχαγγέλους, τὰς ἀρχάς. Approbavit Gregorius Magnus novem eos ordines angelicos (homil. 34 in evangelia), quamvis aliter paulo dispesceret. (Exstitisse, qui choris istis adiicerent animas, quo responderent decem choris cabbalisticis, auctor est Buddeus pag. 544 introductionis ad historiam philosophiae Ebraeorum). Quae a Pseudo-Dionysio instituta est angelicarum naturarum dispositio, destituitur stabili quodam fundamento biblico, quám ob rem adsentiri haesito.

hactenus a me proposita, quemadmodum non coacta est, ita linguae usu confirmatur: scilicet bonorum ordines geniorum vocabulo ἀρχαὶ IX Rom. 38 (ubi ἀρχαὶ cum ἄγγελοι copulatum), item I Ephes. 21 designantur. De verbo θρόνοι inspiciendum aliquid, quod Schoettgenio ad I Coloss. 16 in horis Hebr. caet. notatum. Contra Hammondus vult, vocabula θρόνους, κυριότητας, ἀρχὰς, ἐξουσίας complecti angelos et homines, et utrosque quidem eminentissimae sortis, ut perhibeantur varii angelorum hominumque ordines per Christum conditi. Explanationem propemodum eandem Cocceius, Lindsayus, Peircius, Wolfius, Heumannus protulere. Sane est, ubi ἀρχαὶ et ἐξουσίαι humanos significent magistratus, cf. III Tit. I; at hoc tamen loco voces illas pariter atque θρόνοι et κυριότητας interpretari de solis angelicarum naturarum choris excellentibus, mea certe opinione nativius est, ac sublimitati totius commatis longe convenientius. Dr. Iunkerus pag. 89 commentarii in epistolam ad Coloss.: „Mir däucht es, daß diese Stelle auf die Vorgesetzten und Mächtigen (Könige, Tetrarchen, Lehrer ꝛc.) der Juden nach ihren bestimmten Abstufungen bezogen werden müsse [27]), und zwar hauptsächlich mit Hinzusetzung des, im ganzen Briefe durchleuchtenden Hauptgedankens: Christus ist höher, als alle Ge-

27) Iam Vitringae verba, de quibus quaestio est, ad magistratus Iudaeorum pertinere visa.

waltige und Vorgesetzte der Erde" caet. Sed loci, quorum ope sententiam suam est probaturus, nimirum VI Ephes. 12, I Corinth. 15, 24 (agitur ambobus locis de spiritibus homine altioribus), IV Act. 23, 26, 27, I Corinth. 2, 6, III Ioan. 1 (hisce in locis ne leguntur quidem verba *θρόνοι, κυριότητες, ἀρχαὶ, ἐξουσίαι*) sententiam haud probant. Tellerus, Moldenhauerus, Iustius vocabula ista quattuor cepere de multiplicibus, quum summis tum infimis, non Iudaeorum tantum, verum etiam paganorum potestatibus. Secundum posteriores ambas explanationes principales *τῶν ὁρατῶν* partes haud dubie recensentur apostolo, quum tamen ex arcta vocum *εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες, εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι* cum dictione *τὰ ἀόρατα* copulatione nihil sit exspectandum aliud, nisi Paulum singula quaepiam *ἀόρατα* in iis vocabulis nominatim elaturum. Ad hoc, magistratuum singulorum, quos memoria Paulina per orbem terrarum offenderes, commemoratio nescio an in excelsa hac sectione foret languidior. — *Τὰ πάντα δι' αὐτοῦ.* Gravia illa, quae ante pronuntiata sunt, lecturis denuo inculcat Paulus, dicendo: cuncta igitur, quae extitere, producta sunt per Christum; ipse causa universi efficiens est. Bengelius (ad superius *αὐτῷ*): „*ipse* hic saepe positum magnam significat maiestatem." Enarrationem, quam proposui, locutionis *ἐν αὐτῷ* esse rectam, ex particula *δι' αὐτοῦ* apparet. — *Εἰς αὐτὸν ἔκτι-*

σται. Chrysostomus, quem sequuti sunt et Theophylactus et Oecumenius: „εἰς αὐτὸν (ἔκτισται), ait, τουτέστιν, εἰς αὐτὸν κρέμαται ἡ πάντων ὑπόστασις. οὐ μόνον αὐτὸς αὐτὰ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παρήγαγεν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς αὐτὰ συγκρατεῖ νῦν. ὥςτε ἂν ἀποσπασθῇ τῆς αὐτοῦ προνοίας, ἀπόλωλε καὶ διέφθαρται. [ἀλλ'] οὐκ εἶπε διακρατεῖ, ὅπερ ἦν παχύτερον, ἀλλα τὸ λεπτότερον ὅτι εἰς αὐτὸν κρέμαται. μόνον γὰρ τὸ πρὸς αὐτὸν νεύειν ἱκανὸν διακρατῆσαι καὶ συσφίγξαι." Praestat tamen, quum illa ἐξήγησις sapiat quoddam arbitrium, τὸ εἰς sumere de scopo, ut XI Rom. 36. Unde sensus: hunc in finem condita sunt cuncta, ut sapientiam, bonitatem, potentiam Christi, quatenus est λόγος, patefaciant, ut si modo ratione ac voluntate sint praedita, Christum tanquam dominum suum agnoscant, colant, ad praecepta eius agant. Quodsi Paulus alibi de ipso aperit Deo patre, omnia εἰς αὐτὸν seu εἰς δόξαν αὐτοῦ oportere spectare, cf. I Corinth. 8, 6, II Philipp. 11, revera pugnasse secum nequaquam est existimandus. Immo vero patet ex hisce ἐναντιωφάνεσι, iuxta Paulinam quidem doctrinam parem competere honorem Dei filio ac Deo patri, unam esse patris filiique gloriam. Comparetur cum effato Pauli illud Servatoris, quod occurrit V Ioan. 23: 'Ο πατὴρ τὴν κρίσιν πᾶσαν δέδωκε τῷ υἱῷ,) ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν, καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα." Vide etiam V Apocal. 13. — Constat, Marcionem crea-

tionem mundi non Christo assignasse, verum τῷ δημιουργῷ: hinc mirandum non venit, quod v. 16, utpote repugnans aperte gnostici opinioni, in eius ἀποστολικῷ, quomodo ex Tertulliano videre est, defuit.

V. 17 [28]). *Καὶ αὐτός ἐστι πρὸ πάντων.* Vocula *καὶ* h. l. pariter atque XV Matth. 16 est conclusionis: „igitur", nempe quum Christus, quae extiterunt, universa produxerit. Ἐστὶ tenet potestatem vocis ἦν, cf. VIII Ioan. 58. Heinrichsio et Dr. Iunkero videtur praepositio πρὸ eminentiam innuere, qua (praeter) omnia alia excellat Christus. At possis sine difficultatibus ullis in primitivo, neque eo metaphorico verbi significatu acquiescere, ex quo est: ante. Profecto signat προύπαρξιν, divinae naturae Christi propriam. Interpres vulgatus dictionem πρὸ πάντων male vertit: „ante omnes," scilicet, quemadmodum Cornelius certe a Lapide enarrat, θρόνους, κυριότητας, ἀρχὰς, ἐξουσίας (fuit Christus). Obstat versioni, quod apostolus in iis, quae antecedunt, quaeque consequuntur, non πάντες usurpat, sed τὰ πάντα. Unde equidem explanaverim πρὸ πάντων „ante omnia": fuit Christus (ut ὁ λόγος τοῦ θεοῦ) prius, quam res finitae omnes, prius itaque, quam tempus, fuit ab aeterno, est aeternus. Quid?

28) Publicata est Lipsiae a. 1815 Christoph. Stoesneri explicatio vulgaris et orthodoxa locor. I Hebr. 5 et I Col. 17, ab iniuriis recentiorum aliquot interpretum vindicata.

CORRIGENDA.

Pag.	88	lin.	16	lege	*ulla.*
—	145	—	14	scribendum	*perpetuas.*
—	281	—	4	ponendum	*quae.*

HALAE

TYPIS IMPRESSUM GEBAUERIIS.



